A. 1572 Societ. IESV Antv. D. P.

# REI RVSTICAE AVCTORES LATINI VETERES,

M. CATO M. VARRO
L. COLVMELLA PALLADIVS:

Priores tres, e vetuſtiſſ. editionibus; quartus, e veteribus membranis aliquammultis in locis emendatiores:

*Cum tribus Indicibus, Capitum, Auctorum, & Rerum ac Verborum memorabilium.*

Criticorum & Expoſitorum in eoſdem atque Geoponicos Græcos Notationes ſeorſum dabuntur.



Ex Hier. Commelini typographio,
ANNO MDXCV.

Digitized by Google

Clariſſimo & ampliſſimo viro
PETRO DENAISIO
Iuriſconſulto
Supremæ Imperii Curiæ Adſeſſori
Muſarum & hortorum
cultori eximio
SCRIPTORES HOS REI RVSTICÆ
pro ſtudio ſuo & obſeruantia
HIER. COMMELINVS TYPOGRAPHVS
ELECTORIVS HAIDELB.
L M D D.

Digitized by Google

# HIER. COMMELINVS LECTORI S.

REI ruſticæ ſcriptores vetuſtiores tum Græcos tum Latinos tibi, polite Lector, ſimul iunctos dare decreueram. verum hoc inceptum ob alia maioris momenti ad tempus differre coactus, non ingratum tibi fore exiſtimaui ſi Latinos hosce (interea dum Græci ad tres m. ſ. Palatinos collati, cum interpretatione Latina excudantur) præmitterem. Nudos porro hic auctores habes; ſed, quantum in nobis fuit, emendatiſſime expreſſos: quibus Indices tres Fr. Sylburgius noſter, qua ſolet diligentia conſcriptos, addidit. Criticorum Notationes in præſens conſulto omiſi, quod ad eas, collatione Græcorum Geoponicorum facta, non exiguum emendationum numerum accedere poſſe reipſa compererim. ita vt hæc mora tibi nequaquam fraudi ſit futura. Vale, & noſtris laboribus faue.



Digitized by Google

# REI RVSTICÆ CAPITA, EX RHEGIENSI EDITIONE anni 1482.

M. P. CATONIS.


*Quomodo agrum emi pararique oporteat, cap. 1.*

*Patrisfamilias officia 2*

*Quomodo agrum in adoleſcentia conſerere oporteat 3*

*Bubilia uti bene ædificata habeantur, & vicinia bona 4*

*Villici officia 5*

*Quibus locis agrum conſeri oporteat 6*

*Quo in loco arbuſta & virga ſerantur 7*

*Ficos plurium generum quo loco ſerere oporteat 8*

*Vti ſalicta locis aquoſis ſerantur 9*

*Quot conſeruos, quot boues aſinosq; & miniſtros atq; utenſilia villicum habere oporteat 10*

*Alia inſtitutio, quot & quibus conſeruis atque operis inſtrui villicum oporteat 11*

*Quot & quæ in torculari parari vaſa oporteat 12*

*Quomodo torcularium & cellam oleariam parare oporteat 13*

*Villam ædificandam fabro quomodo locaueris 14*

*Maceria quomodo ædificentur 15*

*Calx quo pacto locetur 16*

*Materies qui tempore anni tempeſtiua ſit 17*

*Torcularium quomodo ædifices 18*

*Quot vaſa vinaria, quibus ſtipitibus & qualiter facias 19*

*Trapeti columnella quo ſit concinnanda modo 20*

*Cuppa trapeti quomodo fabre fiat 21*

*Quomodo faber trapetum accommodet 22*

*Quæ ad vindemiam in tempore parari opus ſit 23*

*Vinum Græcum & helueolum quo fiat modo 24*

*Vinum coctum quo fiat modo 25*

*Quod vindemia facta, vaſa reponantur 26*

*Sementem uti facias 27*

*Oleas, vites, ficos, ceterasque arbores cum ſeres, quomodo ſeras 28*

*Stercus ad arbores colendas uti diuidas 29*

*Quomodo bubus & ouibus frondem des 30*

*Ad oleam cogendam quæ opus ſint 31*

*Vti maturæ arbores putentur 32*

*Vinea quomodo curetur, & vetus uti renouetur 33*

*De ſementi faciunda & quo loco 34*


Quis

*Palumbum recentem vti farcias* 90
*Aream vti facias* 91
*Frumento ne noceat gurgulio* 92
*Olea ſi fructum non ferat* 93
*Fici vti groſſos teneant* 94
*Conuoluulus in vinea ne fiat* 95
*Oues ne ſcabræ fiant* 96
*Amurca vnguentum* 97
*Veſtimenta ne tinea tangant* 98
*Fici arida vt integra ſint* 99
*Oleum in metretam vt indas* 100
*Virgas myrteas vti ſerues, item aliud genus* 101
*Si bouẽ aliam've quadrupedem ſerpens momorderit* 102
*Boues vti valeant* 103
*Vinum familiæ per hyemem* 104
*Si ager a mari longe aberit, vti vinum Græcum ibi facias* 105
*Aquæ marinæ concinnatio* 106
*Quomodo labra doliorum circumlinias, odorata vt ſint, & ne quid vitij in vinum accedat* 107
*Vinum ſi voles experiri duraturum ſit, nec ne* 108
*Vinum aſperum vti lene fiat* 109
*Odorem deteriorem vti vino demas* 110
*Si voles ſcire in vinum aqua addita ſit, nec ne* 111
*Vinum Coum ſi facere voles* 112
*Vt bene odoratum ſit* 113
*Vinum ſi voles concinnare ad aluum* 114
*Vinum ad aluum mouẽdam* 115
*Lentim quomodo ſeruari oporteat* 116
*Oleæ albæ quomodo condiantur* 117
*Oleam albam ſecundum vindemiam qua vtaris* 118
*Epithyrum album, nigrum, & varium* 119
*Muſtum ſi voles totum annum habere* 120
*Muſtaceos vti facias* 121
*Vinum concinnare ad lotium* 122
*Vinum ad iſchiacos* 123
*Vt interdiu canes clauſos habeas* 124
*Vinum myrteum vti facias* 125
*Ad tormina, & ſi aluus non conſiſtat, & ſi tinea ac lumbrici moleſti exſiſtant* 126
*Ad dyſpepſiam & ſtranguriam* 127
*Habitationem delutare* 128
*Area frumentaria vti fiat* 129
*Ligna amurca aſpargantur* 130
*Dapem pro bubus* 131
*Dapem quomodo facias* 132
*Propagatio pomorum ceterarumq; arborum* 133
*Antequam meſſem incipias, vti porcum præcidaneum facias* 134
*Tunicæ & centones, ferramenta & reliqua vtenſilia vbi emantur* 135
*Pollintionem quo pacto dari oporteat* 136
*Vineam redemptori partiario quomodo des* 137
*Boues quomodo feriis coniungere liceat* 138

Quem-

Digitized by Google

*ribus ſatis ſint? quod inſtrumentum agreſte ſemiuocale nuncupetur* 19

*De eligendis bubus, de modo probandi & edomandi nouellos iuuencos* 20

*De canibus: ſine quibus vtique villa parum tuta ſit* 21

*Qualiter vniuerſus inſtrumentorum fundi apparatus inſtituatur* 22

*Quæ & quo quidq; loco maxime ſerere oporteat* 23

*Olea in quo agro ſerũda ſit, qua parte, quo ordine* 24

*Vinea quo agro ſerunda ſit* 25

*Quo in loco ridica in vinea figi debeant, & ad quam partem* 26

*Quot diuidatur menſibus & temporibus annus, & in quibus quid ſeri oporteat, ac colligi de agro ſeminata* 27

*Quot dies habeat qualibet quarta pars anni, & in quibus cæli ſignis intrent* 28

*Quid inter fauonium & æquinoctium vernum fieri oporteat* 29

*Quæ inter æquinoctium vernum & Vergiliarum exortum fieri debeant* 30

*Quæ inter Vergiliarum exortum ad ſolſtitium fieri oporteat* 31

*Quid inter ſolſtitium & caniculam faciundum ſit* 32

*Quinto interuallo inter caniculam & æquinoctium auctunni quæ fieri oporteat* 33

*Sexto interuallo ab æquinoctio auctunnali quid fieri oporteat vsq; ad brumam* 34

*Septimo interuallo inter Vergiliarum occaſum & brumam quæ fieri oporteat* 35

*Octauo interuallo inter brumã & fauonium quæ fieri oporteat* 36

*De lunaribus diebus* 37

*De ſtercore & ſterquilinio* 38

*Quattuor eſſe genera ſeminum, & quæ quo tempore ac loco ſeri debeant* 39

*Quæ ſint genera ſeminum, quemadmodũ propagari debeant, quibus & quo loco ſeri debeant* 40

*De temporib. transferendorum ſurculorum, & quæ poſt ſationem obſeruanda ſint* 41

*De Melica ſeu Medica* 42

*De cytiſo* 43

*Quot modii ſerantur faba, tritici, hordei, farris* 44

*Sata quoto quæque die de terra prodeant* 45

*Ex quibus foliis cognoſci poſſint anni tempora* 46

*Quemadmodum ſata tuenda ſint* 47

*Quæ in ſpica ſint vocabula, & cauſa eorum* 48

*De fructibus maturis capiendis, de fœniſicio & ſicilitione pratorum* 49

*De meſſe, & cauſa huius vocabuli, quare meſſis appellata, quare palea ac ſtramenta* 50

*Aream qualem eſſe oporteat* 51

*Quæ cura adhibenda ſit bubus ab opere diiunctis* 3
*Quo anni tempore campi arandi ſint, & quomodo* 4
*Exilis terra quomodo ſtercoretur* 5
*De generibus ſeminum* 6
*De generibus leguminum* 7
*Quod ſeminandi tempus ſit* 8
*Quot ſeminum modios iugerum poſtulet, & medicina ſeminum* 9
*Quod ſolum cuiq; legumini conueniat* 10
*De genere pabulorum, & de Medica, vicia, farragine, auena, fœnograco, eruo, & cicera* 11
*Quemadmodum & quot operis vnumquodq; frumentum ac legumen colatur* 12
*Pro modo cuiusq; agri quot opera deſignentur* 13
*Quæ legumina aruis noceant, quæq; proſint* 14
*De generibus ſtercoris* 15
*Quibus temporibus agri ſtercorandi ſint* 16
*Quemadmodum ex aruo prata fiant* 17
*Quemadmodum facta prata colantur* 18
*Quemadmodum ſucciſum fœnum tractari & condi debeat* 19
*De area conſtituenda* 20
*De meſſe facienda, & de tritura* 21
*Quæ per ferias liceat agricolæ, & quæ non liceat facere* 22.

III LIBRI.

In recentioribus editionibus his liber loco motus ſeorſum poſt XII ponitur.

*De vitiario faciendo* 1
*Qualia ſemina & quando legas* 2
*Quemadmodum ſemina eligas, & de habitu terræ* 3
*De generibus vinearum* 4
*Quemadmodum vites coli debeant* 5
*De reſecanda vinea vetere & propaganda* 6
*De propagatione* 7
*De inſitionibus fructuoſis quæ vites fœcundas faciunt* 8
*Vt vua complura genera acinorum habeat* 9
*Vindemiam quomodo putes* 10
*De pampinatione* 11
*De foſſura* 12
*Ne rubigo vineam vexet* 13
*Ne formica vitem aſcendat* 14
*Ne ſorices aut volucra vitem lædat* 15
*De arbuſtis* 16
*De oliuetis* 17
*De pomario conſtituendo* 18
*De ſcrobibus faciendis* 19
*Quomodo ſemina legas* 20
*Quando ficus ſerenda ſit* 21
*De nuce ſerenda* 22
*De malo Punica ſerenda* 23
*De piro* 24
*De malis ſerendis* 25
*De inſitione arborum* 26
*Quod omnium generum ſurculi omnib. arborib. inſeri poſſint* 27
*De cytiſo* 28
*De ſalice, geneſta, & arũdine* 29

De

Quemadmodum pedanda ſit vinea, & de canterio 13
Quomodo vitis alliganda ſit 14
Maleolis iugum imponendum, & quam alte canterius alleuandus ſit 15
Quemadmodum nouella vinea frequentanda, & propagines facienda ſint 16
Quo tempore viuiradix transferenda ſit 17
Quomodo ex arundinib. iugum faciendum 18
Quomodo in hortulos vinea diuidenda ſint 19
De poſitione iugi, & quatenus a terra leuandum 20
Nouella vinea quomodo putanda ſit 21
Quemadmodum veterana vinea reſtituantur 22
Quemadmodum eadem putentur 23
Qua bonus vinitor in conſtituta iam vinea vitare aut ſequi debeat 24
Figura falcis 25
De cura adminiculanda iugandaq; vinea 26
Qua bonus vinitor in conſtituta iam vinea vitare aut ſequi debeat 27
Quomodo pampinari & quot foſſuris excoli vinea debeat 28
De inſerendis vitibus, & inſitione tuenda 29
De ratione pedaminum ac viminum, & de ſalicto 30
De geneſta 31
De arundinetis 32
De caſtaneis & caſtanetis 33.

VI LIBRI.

Quemadmodum datas agrorum formas metiri debeas 1
Quotena ſemina iugerum in ternos pedes, ac deinde vsque in denos pedes diſpoſita recipiat 2
De cultura prouincialium vinearum 3
De vlmariis faciendis 4
De arbuſto Gallico 5
De generibus olearum 6
De ſeminariis oliuarum faciendis 7
De arboribus pomiferis 8
De tribus inſitionum generibus 9
De cytiſo 10.

VII LIBRI.

De bubus parandis atque emendis, earumq; forma 1
De bubus domandis 2
De boum cura & cibariis 3
De vitiis boum & medicinis 4
Vbi gregibus peſtilentia ingruit, qua remedia adhibenda ſint 5
Quod remedium adhibeatur boui cruditate laboranti 6
Quo remedio ſedetur dolor ventris & inteſtinorum pecoris 7
De vitioſis incrementis lingua 8
De tuſſi boum 9
Suppurationis remedia 10
Claudicanti boui quod remedium adhibeatur 11
Ad ſcabiem remedia, & ad morſum rabioſi canis vel lupi, nec

X LIBRI.

*De viuariis faciendis, & includendis pecudibus feris* 1
*De apibus* 2
*Quot genera ſint apum, & quod ex iis optimum* 3
*Quales paſtiones & qui ſitus paſtionum apium eſſe debeat* 4
*De ſedibus apum eligendis* 5
*De vaſis alueorum probandis* 6
*Quemadmodum aluei collocandi ſint* 7
*De comparandis apibus, & quemadmodum ſilueſtria examina capiantur* 8
*Quemadmodum vernacula examina obſeruentur, & in aluos condantur* 9
*Quæ ſit forma regis apum* 10
*Quomodo apum paucitas emendetur* 11
*De condendo examine, & eius fuga inhibenda* 12
*Remedia apum morbo laborantium* 13
*Quid quoque tempore faciant apes, & quid earum curator facere debeat* 14
*De melle conficiendo, & quando caſtrari debeant alui* 15
*De cera facienda* 16.

XI LIBER

*Carmina continet de cultu Hortorum.*

XII LIBRI.

*Quæ intra villam agi debeant ab homine officio villicationis præpoſito* 1
*Quid quoq; mẽſe faciendum ſit, tẽporib. accõmodando opera* 2
*Proſa de cultu hortorum, & herbis hortenſibus* 3

XIII LIBRI.

*Cura rei domeſticæ, & præcepta quæ villica exſequi debeat* 1
*Quemadmodum tractare debeat penora ſiue cellaria* 2
*Diſtributio inſtrumenti & ſupellectilis* 3
*Quæ vaſa parare debeat penoribus & ſalgamis condiendis* 4
*Quemadmodum ex vino vapido acetum fiat* 5
*Quomodo muria dura fiat* 6
*Quæ per quattuor anni tempora herbæ, & quomodo condiantur* 7
*Oxygala quomodo fiat* 8
*Conditura lactucæ* 9
*Capæ, pirorum, & malorum ceterorumq; pomorum compoſitio* 10
*Aquæ dulcis compoſitio quæ in conditurus vtuntur* 11
*De aqua mulſa facienda* 12
*De caſeo ſeruando, & de quibuſdam herbis condiendis* 13
*De malis & piris in ſole ſiccandis* 14
*De vuis paſſis faciendis & ſorbis ſeruandis* 15
*De ficis aridis* 16
*De aceto ficulneo faciendo* 17
*Quæ p̃paranda ſint vindemiæ* 18
*De plurib. generib. conditurarũ, quibus vinũ confirmatur* 19
*De ſapa coquenda* 20
*De defruto quod quidam Neapolitanum vocant* 21
*De defruto quod adiicitur in vinum ad vetuſtatem* 22

*Picis*

aquas diligi ſolet 16
De ciſternis & maltha frigidaria 17
De cella vinaria 18
De horreo 19
De olei factorio 20
De ſtabulis equorum & boum 21
De curte 22
De aluiariis 23
De columbario 24
De turturario 25
De turdis 26
De gallinis 27
De pauonibus 28
De faſianis 29
De anſeribus 30
De piſcinis 31
De fœnili, paleario, & lignario 32
De ſterquilinio 33
De locis orti, & pomario, & ſepibus, & ſerendo 34
De area 35
De apium caſtris 36
De apibus emendis 37
De balneis 38
De malthis calida & frigida 39
De piſtrino 40
De inſtrumentis agreſtium 41.

Tituli menſis Ianuarii.

De ablaqueandis vitibus 1
De pratis abſtinendis in locis macris 2
De proſcindendis agris, & iungendis bubus, vel arandi diſciplina 3
De hordeo Galatico ſerendo 4
De cicercula ſerenda cum diſciplina ſua 5
De vicia ſerenda, non ad pabulum ſecandum, ſed ad ſemina redigenda, cum diſciplina ſua 6
De fœnograco ſerendo legendi ſeminis cauſa, cum diſciplina ſua 7
De herbo ſerendo 8
De ſariendis frumentis & leguminibus 9
De paſtinandi generibus & ſcrobibus vitium 10
De tabulis vinearum 11
De menſura paſtini Italica 12
De ſolo & cælo & loco pangendis vineis congruenti, & ea quæ illuc pertinet diſciplina 13
De hortis: in eo de lactuca ſerenda cum diſciplina ſua, item naſturcio, ſimiliter & eruca, item caulibus, allio & vlpico 14
De pomis: in eo de ſorbo, de amygdalo, de nuce iuglandi, cum diſciplinis ſuis; & de ceteris pomis quorum diſciplina ſuis menſibus continetur 15
De ſignandis animalibus, de lardi & pernarum confectione, & echinis & rapis 16
De oleo myrtino 17
De vino myrtite 18
De oleo laurino 19
De oleo lentiſcino 20
De gallinarum paſtu 21
De cædenda materie 22
De horis 23.

Tituli menſis Februarii.

De pratis ſeruandis & lætamine ſaturandis 1

De

*gandis, & veteranis vineis reſtituendis, & agris & laſis* 7

*De oleis amurca ſaginandis, & cetera earum cura: item de ſeminariis & roſariis faciendis vel colendis, & ſariendis frumentis* 8

*De hortis: in eo de carduis, cum diſciplina: de vlpico, allio, & cepulla, cunela, anetho, ſinapi, caulibus, maluis, armoracea, origano, lactuca, beta, porro, cappari, colocaſiis, ſatureia, naſturcio, intibis, rafanis, & melonibus & cucumere cum diſciplina ſua: item de aſparagis & ſpongiis eorum: ſimiliter & ruta & coliandro cum diſciplina ſua, & cucurbita: ſimiliter & blito: item de aniſo & cymino.* 9

*De pomis: in eo de melo Punico cum diſciplina, & vini ſui confectione: de citreo: ſimiliter de meſpilo, & de fico, cum diſciplinis ſuis, & aliis pomis quorum diſciplina ſuis menſibus continetur* 10

*De comparandis bubus, tauris, vaccis* 11

*De domandis bubus* 12

*De equis, equabus, & pullis, & ætate eorum* 13

*De mulino genere & aſinis* 14

*De apibus* 15

*De horis* 16.

## Tituli menſis Aprilis.

*De Medica ſerenda & diſciplina eius* 1

*De inſerenda olea vel oleaſtro, de vineis & ſeminariis fodiendis, & inſerendis vitibus, & agris humidis & pinguib. proſcindendis* 2

*De hortis: in eo de caulibus, item de apio, de atriplice, de ocimo, cum diſciplinis ſuis: item de melone, cucumere, porro, cappari, ſerpyllo, colocaſio, lactucis, betis, cepullis, coliandro, intibis, cucurbitis ac menta* 3

*De pomis: in eo de Zizypha cum diſciplina ſua, & de aliis pomis, quorum ſuis menſibus diſciplina deſcripta eſt* 4

*De oleo violacio & vino* 5

*De armentis: in eo de vitulis nutriendis, de tonſuris & ſignaturis* 6

*De apibus: in eo de veſtigandis apibus, & purgandis aluearis* 7

*De horis* 8.

## Tituli menſis Maii.

*De panicio & milio, de florentibus ſatis, de recidendo fœno* 1

*De nouella ſarmentis relinquendis, & pampinandis vitibus* 2

*De proſcindendis & aperiendis nouis agris* 3

*De occandis vitibus arboribusque, & rude cadenda, fodiendis*

De exili & miſera vinea reficienda 2
De pampinandis & obumbrandis vitibus, & extirpandis carectis atque filectis 3
De vrendis paſcuis 4
De ortis: in eo de rapa & napo, de radice cum diſciplina ſua, de paſtinaca 5
De pomis 6
De apibus 7
De aqua inuenienda 8
De puteis 9
De aqua probanda 10
De aquaductibus 11
De menſuris & ponderibus 12
De confecto melle 13
De horis 14.

Tituli menſis Septembris.

De agris pinguibus tertiandis vel implendis exilibus, & de ſtercorando 1
De ſerendo tritico & adoreo in locis frigidis & opacis 2
De remedio ſalſi humoris, de ſeminum menſuris & diuerſis remediis ad ſationem pertinentibus 3
De ſerendo hordeo canterino 4
De lupino ſerendo 5
De piſo ſerendo 6
De ſiſamo ſerēdo, & preſcindendis agris ad Medicam 7
De vicia & Græcofœno & farragine ſerendis 8
De lupino ſerendo, qui natus euertatur & loca fœcundet exilia 9
De pratis nouellis formandis, vel veteribus excolendis 10
De vindemia celebranda 11
De panicio & milio metendis, & faſelo ad eſcam ſerendo, & apparandis aucupiis 12
De ortis: in eo de papauere, braſſica, thymo, origano, cappari, cum diſciplinis: item naſturcio, anetho, radicibus, paſtinacis, cerefolio, lactuca, betis, coriandro, rapis & napis 13
De pomis: in eo de tubere 14
De pauimentis ſolariorum & lateribus 15
De diamoron 16
De ſeruandis vuis 17
De vite cuius fructus humore putreſcit 18
De horis 19.

Tituli menſis Octobris.

De adoreo & tritico, de hordeo canterino, de herbo, lupino, piſo, ſiſamo & faſelo ſerendis 1
De lini ſemine ſerendo 2
De notanda vitium fertilitate qua prouidebimus panctionē 3
De ponendis vineis, vel propagandis, reparandis, putandis, & arbuſtis 4
De ablaqueanda nouella 5
De vtilitate propaganda nunc vinea 6
De inſerendis arboribus vel vitibus 7
De oliuetis inſtituendis, & colendis, lætandis, & remediis eorum: de oliuis condiendis: de foſſis riuiſque purgandis 8

De

*& lini ſemine* 1
*De fodiendis paſtinis & cadenda materie, palis & ridicis, de oleo laurino, myrtino, lentiſcino, & vino myrtite* 2
*De hortis: in eo de lactuca, allio, vlpico, cepulla, ſenapi, & cunela* 3
*De pomis: in eo de hypomelidibus & aliorum menſium pomis* 4
*De rapis condiendis* 5
*De echinis & pernis & lardo ſalliendis, & auium laqueis diſponendis* 6.
*De horis* 7.

Tituli libri XIIII, De inſitione, ex impreſſis libris.

*Præfatio, proſa* 1
*Procemium carminis* 2
*De vite* 3
*De oliua* 4
*De piro* 5
*De malo Punico* 6
*De pomo* 7
*De Perſico* 8
*De malo Cydonio* 9
*De meſpilo* 10
*De malo citrino* 11
*De prunis* 12
*De ſiliqua* 13
*De ficubus* 14
*De moro* 15
*De ſorbis* 16
*De ceraſo* 17
*De amygdalo* 18
*De piſtaciis* 19
*De caſtanea* 20
*De nuce* 21.

---

## AVCTORES HIC CITANTVR,

L. Ælius
L. Albucius
M. Ambiuius
Anaxagoras
Apuleius
Archelaus
Ariſtomachus
Ariſtoteles
Attilius Hiſp.
Cæcilius poeta
Caſſius Dionyſius
Cornelius Celſus
Democritus
Dicæarchus
Dionyſius Caſſ.
Diophanes Bith.
Dolus Mendeſius
Ennius p.
Epicharmus
Eratoſthenes
Eudoxus
Euemerus
Euthronius, ſeu Euphronius.
Gargilius Mart.
Hamilcar Pœn.
Heraclitus
Heſiodus
Hipparchus
Homerus
Iulius Atticus
Iulius Græcin.
Iulius Hygin.
Licinius Menas
Licinius Stolo
Mago Pœn.
Mamilius
C. Matius
Menecrates
Meto aſtrolog.
Mnaſeas
Nicander
Pacuuius
Paxamus
Plato phil.
M. Porcius Cato
Pythagoras
M. Terentius Varro
Terentius com.
Thales
Theophraſtus
Timæus hiſt.
Tremellius Scrofa
M. Tullius Cic.
Virgilius
Xenophon
Zeno.

*Cognomine citati,*

Atticus
Cæſo
Cato
Celſus
Cicero
Columella



Digitized by Google

ſiet, loco bono ſiet. Videto quam minimi inſtrumenti, ſumptuoſusque ager ne ſiet. Scito idem agrum quod hominem, quanuis quæſtuoſus ſiet, ſi ſumptuoſus erit, relinqui non multum. Prædium quod primũ ſiet, ſi me rogabis, ſic dicam, De omnibus agris, optimoque loco ſi emeris iugera agri centum, vinea eſt prima, ſi vino multo ſiet; ſecundo loco hortus irriguus, tertio ſalictum, quarto oletum, quinto pratum, ſexto campus frumẽtarius, ſeptimo ſilua cædua, octauo arbuſtum, nono glandaria ſilua.

*Patrisfamilias officia.* 2.

PATERFAMILIAS vbi ad villam venit, vbi larem familiarem ſalutauit, fundum eodem die, ſi poteſt, circumeat: ſi non eo die, at poſtridie. vbi cognouit quomodo fundus cultus ſiet, operaque quæ facta infectaque ſient, poſtridie eius diei vilicum vocet, roget quid operis ſiet factum, quid reſtet, ſatiſne tempori opera ſient confecta, poſſitne quæ reliqua ſiẽt conficere, & quid factum vini, frumenti, aliarumque rerum omnium. Vbi ea cognouit, rationem inire oportet operarum, dierum. Si ei opus non apparet, dicit vilicus ſedulo ſe feciſſe, ſeruos non valuiſſe, tempeſtates malas fuiſſe, ſeruos aufugiſſe, opus publicum effeciſſe. Vbi eas aliaſque cauſas multas dixerit, ad rationem operum operarumq; vilicum reuoca. Cum tempeſtates pluuiæ fuerint, videto quot dies, quæue opera per imbrem fieri potuerint, dolia lauari, picari, villam purgari, frumentum transferri, ſtercus foras efferri, ſterquilinium fieri, ſemen purgari, funes veteres ſarciri, nouoſque fieri: centones, cuculiones familiam oportuiſſe ſibi ſarcire. Per ferias potuiſſe foſſas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, ſpinas runcari, expinſi far, mundicias fieri. Cum ægrotarint, cibaria tanta dari non oportuiſſe. Vbi hæc cognita æquo animo ſiẽt, quæue reliqua opera ſient, curare vti perficiantur. rationes putare argentariam, frumentariam, pabuli cauſa quæ parata ſunt, rationem vinariam, oleariam, quid venierit, quid exactum ſiet, quid reliquum ſiet, quid ſiet quod veneat; quæ ſatis accipienda ſient, ſatis accipiantur. Reliqua quæ ſient, vt compareant. Siquid deſit in annum, vti paretur. quæ ſuperſint, vti veneant: quæ opus ſient locato, locentur: quæ opera fieri velit, & quæ locare velit, vti imperet, & ea ſcripta relinquat: pecus conſideret.

Audie-

*Auctionem vti faciat.*

AVCTIONEM vti faciat. Vendat oleum, ſi precium habeat, vinum frumentumque quod ſuperſit. Vendat boues vetulos, armenta delicula, oues deliculas, lanam, pelles, ploſtrum vetus, ferramenta vetera, ſeruum ſenem, ſeruum morboſum, & ſiquid aliud ſuperſit, vendat. patremfamilias vendacem, non emacem eſſe oportet.

*Prima adoleſcentia agrum conſerere oportet.* 3.

PRIMA adoleſcentia patremfamiliæ agrum conſerere ſtudere oportet, ædificare diu cogitare oportet; conſerere cogitare non oportet, ſed facere oportet. vbi ætas acceſſit ad annos XXXVI, tum ædificare oportet, ſi agrum conſitum habeas. Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neue fundus villam.

*Villam ruſticam vti ædificatam habeat.*

PATREMFAMILIAS villam ruſticam bene ædificatam habere expedit, cellam oleariam, vinariam, dolia multa, vti lubeat caritatem expectare, & rei & virtuti & gloriæ erit. Torcularia bona habere oportet vt opus bene effici poſſit. Olea vbi lecta ſiet, oleum fiat continuo, ne corrumpatur. Cogitato quotannis tempeſtates magnas venire, & oleam deiicere ſolere. Si cito ſuſtuleris, & vaſa parata erunt, damni nihil erit ex tempeſtate, & oleum viridius & melius fiet. Si in terra & tabulato olea nimium diu erit, puteſcet, oleum fœtidum fiet. ex quauis olea oleum viridius & bonum fieri poteſt, ſi tẽpori facies. In iugera oleti CXX. vaſa bina eſſe oportet. Si oletum bonum benequefrequens, cultumque erit, trapetos bonos, priuos, impares eſſe oportet: ſi orbes contriti fient, vt commutare poſſis, funes loreos, priuos, vectes ſenos, fibulas duodenas, mediponeos, priuos, loreos, trocleas Græcanicas binas, quæ funibus ſparteis ducantur. Orbiculis ſuperioribus octonis, inferioribus ſenis citius duces. Si rotas voles facere, tardius ducentur, ſed minore labore.

*Bubilia vti bene ædificata habeas.* 4.

BVBILIA bona, bonas præſepis, faliſcas clatratas. Clatros intereſſe oportet pede. Si ita feceris, pabulum boues non eiicient. Villam vrbanam pro copia ædificato. In bono prædio ſi bene ædificaueris, beneque poſiueris: ruri ſi recte habitaueris, libentius & ſæpius venies, fundus melius erit, minus pec-

cabitur, fructi plus capies. Frons occipitio prior eſt. Vicinis bonus eſto. Familiam ne ſiueris peccare. Si te libenter vicinitas videbit, facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces. Si ædificabis, operis, iumentis, materia adiuuabunt. Siquid (bona ſalute) vſus venerit, benigne defendent.

*Vilici officia.* 5.

HAEC erunt vilici officia. Diſciplina bona vtatur. Feriæ ſeruentur. Alieno manum abſtineat. Sua ſeruet diligenter. Litibus familia ſuperſedeat. Siquis quid deliquerit, pro noxa bono modo vindicet. Familiæ male ne ſit, ne algeat, ne eſuriat, opere bene exerceat, facilius malo & alieno prohibebit. Vilicus ſi nolet male facere, non faciet. Si paſſus erit, dominus impune ne ſinat eſſe. Pro beneficio gratiam referat, vt aliis recte facere libeat. Vilicus ne ſit ambulator, ſobrius ſiet ſemper. Ad cœnam nequo eat. Familiam exerceat: conſideret, quæ dominus imperauerit, fiant. Ne plus cenſeat ſapere ſe, quam dominum. Amicos domini, eos habeat ſibi amicos. Cui iuſſus ſiet, auſcultet. Rem diuinam niſi compitalibus in compito, aut in foco ne faciat. Iniuſſu domini credat nemini. Quod dominus crediderit, exigat. Satui ſemen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini. Duas aut tres familias habeat, vnde vtenda roget, & quibus det: præterea nemini. Rationem cum domino crebro putet. Operarium, mercenariũ, politorem diutius eundem ne habeat die. Nequid emiſſe velit inſciente domino, neu quid dominum celauiſſe velit. Paraſitum ne quem habeat. Haruſpicem, Augurem, Hariolum, Chaldæum ne quem conſuluiſſe velit. Segetem ne defrudet: nam id infelix eſt. Opus ruſticum omne curet vti ſciat facere, & id faciat ſæpe, dum ne laſſus fiat. Si fecerit, ſcribit in mente familiæ quid ſiet, & illi animo æquiore facient. Si hoc faciet, minus libebit ambulare, & valebit rectius, & dormibit libentius. Primus cubitu ſurgat: poſtremus cubitum eat. prius villam videat clauſa vti ſiet, & vti ſuo quiſque loco cubet, & vti iumenta pabulum habeant. Boues maxima diligentia curatos habeto. Bubulcis obſequitor, partim quo libentius boues curent. Aratra vomereſque facito vti bonos habeas. terram carioſam caueto ne ares, neue ploſtrum, neue pecus impellas. Si ita non caueris, quo impuleris, triennii fructum amittes. Pecori & bubus diligenter ſubſternatur, vngulæ cu-



Digitized by Google

xime, in quemuis agrum conueniunt.

*De Fundo ſuburbano.* 7.

FVNDVM ſuburbanum arbuſtum maxime conuenit habere,& ligna & virgæ venire poſſunt, & domino erit, qui vtatur. In eodem fundo ſuum quidquid conſeri oportet, arbuſtoque vitem copulari. Aminnęum minuſculum,& maiuſculũ, & apicium. Hæc in ollis, ollæ in vinaceis conduntur. eadem in ſapa: in muſto, in lora recte conduntur, quas ſuſpẽdas duracinas, aminnęas maiores,& ſcantianas opportuniſſimas eſſe, vel ad fabrum ferrarium pro paſſis eæ recte ſeruantur. Poma mala ſtruthea, cotonea, ſcantiana, quiriniana, item alia conditiua mala muſtea,& punica, eo lotium ſuillum aut ſtercus ad radicem addere oportet, vti ſtabilia mala fiant. Pira volema, aniciana,& ſementiua. Hæc conditiua in ſapa bona erunt, tarentina, muſtea, & cucurbitina. Item alia genera quãplurima ſerito, aut inſerito, oleas orchites, poſias, eæ optimæ conduntur vel virides in muria, vel in lentiſco contuſæ. Orchites vbi nigræ erunt & ſiccæ, ſale confricato dies v. poſtea ſalem excutito, in ſolem ponito biduum, vel ſine ſale in defrutum condito. Sorba in ſapa condere, vel ſiccare arida facias. item pira eodem modo facias.

*Ficos quo loco ſeras.* 8.

FICOS mariſcas in loco cretoſo & aperto ſerito: africanas, & herculanas, ſaguntinas, hibernas, telanas, atras pediculo longo, eas in loco craſſo, aut ſtercorato ſerito. Pratum ſi irriguum habebis, fœnum non deficiet. ſi non erit, ſiccum ne fœnum deſiet ſummittito. Sub vrbe hortũ omne genus, coronamenta omne genus, bulbos megaricos, myrtum coniugulum & album & nigrum, laurum delphicam, & cypricam, & ſyluaticam, nuces caluas, auellanas, præneſtinas, & græcas, hæc facito vti ſerantur. fundum vrbanum, & qui eum fundum ſolum habebit, ita paret, itaque conſerat, vti quam ſolertiſſimum habeat.

*Salicta locis aquoſis.* 9.

SALICTA locis aquoſis, humectis, vmbroſis, propter amnes ibi ſeri oportet. Et id videto, vti aut domum opus ſiet, aut vt venire poſſint. Prata irrigua, ſi aquam habebis, potiſſimum facito: ſi aquam non habebis, ſicca quam plurima facito. Hoc eſt prædium quod vbi vis expedit facere.

IIII. infidibula II. cola vitilia III. cola, qui florem demant. tria, vrceos muſtarios decem. ploſtra duo. aratra duo. iugum ploſtrarium I. iugum vinarium I. iugum aſinarium I. orbem aheneum I. molile I. aheneum, quod capit culleum, vnum. operculum aheni vnum, vncos ferreos III. ahenum coculum, quod capiat culleum, vrceos aquarios II. amphoram naſſiternam I. peluim I. matellionem I. trullium I. ſitulum aquariū I. ſcutriſcum, trullam, candelabrum, matellam, lectos IIII. ſcamnum I. menſas II. abacum I. arcam veſtiariam I. armarium promptuarium I. ſcamna longa VI. rotam aquariam I. modium præferratum I. ſemodium I. labrum eluacrum I. ſolium. labrum lupinarium I. ſerias X. ornamenta bubus, ornamēta aſinis inſtrata III. ſemuncias III. ſportas fæcarias III. molas aſinarias III. truſatiles vnas. ferramenta, falces vineaticas VI. ſcirpiculas V. falces ſiluaticas V. arborarias III. ſecures V. & cuneos IIII. vomeres ferreos X. palas VI. rutra quatuor, raſtros quadridentes II. crates ſtercorarias IIII. ſirpeam ſtercorariam I. faculas vineaticas XL. faculas ruſcarias X. foculos II. forpices II. rutabulum, corbulas amerinas XX. quala ſataria VII. alueos XL. palas ligneas XL. lintres II. culcitas IIII. inſtragula IIII. puluinos VI. operimenta VI. mappas III. centones pueris VI.

*Quomodo vaſa torcula V. iugerum inſtruere oporteat.* 12.

IN torcularium quæ opus ſunt vaſis quinis prela temperata V. ſuperuacanea III. ſuculas V. ſuperuacaneam I. funes loreos V. ſubductarios V. medipontos V. trocleas V. capiſtra V. aſſercula V. vbi prela ſita ſiēt V. ſerias III. vectes XL. fibulas XL. confibulas ligneas, qui arbores comprimat, ſi dishiaſcent, & cuneos VI. trapetos V. cupas minuſculas X. alueos X. palas ligneas X. rutra ferrea V.

*Quomodo torcularium & cellam oleariam parare oporteat.* 13.

IN torcularium in vſu quod opus eſt. Vrceum aheneum I. quod capiat quadrantalia quinque, vncos ferreos tres, orbem aheneum vnum, molas vnas, cribrum vnum, incerniculum vnum, ſecurim vnam, ſcamnum vnum, ſeriam vinariam vnam, clauam torcularii vnam, lectum ſtratum, vbi duo cuſtodes liberi cubent, & tertius ſeruus vna cum factoribus vti cubet.

cubet. fiſcinas nouas veteres. epidromum, puluinum, corium vnum, lucernas craticulas duas, carnarium vnum, ſcalas vnas. In cellam oleariam hæc opus ſunt. Dolia olearia opercula, labra olearia XIIII. conchas maiores duas, & minores duas, trullas aheneas tres, amphoras olearias duas, vrceum aquarium vnum, vrnam quinquagenariam vnam, ſextarium olearium vnum, labellum vnum, infundibula duo, ſpongias duas, vrceos fictiles II. vrnales II. trullas ligneas duas, claues cum cloſtris III. cellas duas, trutinam vnam, centumpondium incertum vnum, & pondera certa.

*Villam ædificandam ſi locabis.* 14.

VILLAM ædificandam ſi locabis nouam ab ſolo, faber hęc faciat oportet. Parietes omnes (vti iuſſitur) calce & cementis, pilas ex lapide angulari, tigna omnia quæ opus ſunt, limina, poſtes, iugumenta, aſſeres, fulmentas, præſepis bubus hibernas, & æſtiuas faliſcas, equile, cellas familię, carnaria III. orbem, ahena II. haras X. focum, ianuam maximam, & alterã quam volet dominus, feneſtras, clatros in feneſtras maiores, & minores bipedales X. lumina VI. ſcamna III. ſellas V. telas iogales duas, luminaria VI. paullulam pilam, vbi triticum pinſant, vnam, fullonicam vnam, antepagmenta, vaſa torcula duo. Hæc rei materiem, & quæ opus ſunt dominus prębebit, & ad opus dabit: ſuccidet, dolabit. ſerram I. lineam I. materiã duntaxat ſecabit, facietque. Conductor lapidẽ, calcem, arenam, aquam, paleas, terram, vnde lutum fiat. Si de cælo villa tacta ſiet, de ea re verba vti fiant. Huic operi précium ab domino bono, qui bene præbeat quæ opus ſunt, & numos fide bona ſoluat. In tegulas ſingulas II. In tectum ſic numerabitur tegula, integra quæ non erit, vnde quarta pars aberit, duę pro vna conliciares quæ erunt, pro binis putabuntur: in aliis quot erunt, in ſingulas quaternę numerabuntur. Villa lapide calce fundamẽta ſupra terram pede, cæteros parietes ex latere, iugumenta, & antepagmenta, quæ opus erunt, indito. Cætera lex vti villa ex calce, cementis pretium in tegulas ſingulas N. S. loco ſalubri bono domino hęc, quæ ſupra precia poſita ſunt. ex ſigno manupretium erit: peſtilenti, vbi æſtate fieri non poteſt, bono domino pars quarta precii accedat.

*De maceriis ædificandis.* 15.

Macerias ex calce, cæmentis, ſilice vti dominus omnia ad-

opus præbeat, altam P. V. facito, & columen P. I. craſſam P. I. S. longam P. XIV. & vti ſublinat locari oportet. Parietes villæ ſi locet in pedes C. id eſt, P. X. quoquouorſum, libellis in pedes V. & perticam vnam P. VI. N. X. Sequipedalem parietẽ dominus fundamenta faciat, & ad opus præbeat calcis in P. ſingulos longitudinem opus eſt modium vnum, arenæ modios duos.

### *Calcem partiario locandam.* 16.

CALCEM partiario coquendam qui dant, ita dant. Perficit, & coquit, & ex fornace calcẽ eximit calcarius, & ligna conficit ad fornacem. Dominus lapidem, ligna ad fornacẽ, quod opus ſiet, præbet.

### *Materies quid anni tempeſtiua eſt.* 17.

ROBVS, materies item pro ridica, vbi ſolſtitium fuerit ad brumam ſemper tempeſtiua eſt. Cætera materies quæ ſemen habet, cum ſemen maturum habet, tum tempeſtiua eſt. Quæ materies ſemen non habet, cum glubebit, tum tempeſtiua eſt. Ea quæ ſemen viride & maturum habet, vti ſemen de cupreſſo, de pino, quiduis anni legere poſſis. Item quiduis anni matura eſt, & tempeſtiua, ibi dum ſunt nuces bimæ, inde ſemen excidet, & anniculæ eæ vbi primum incipiunt hiaſcere, tum legi oportet, per ſementim primum incipiunt maturæ eſſe. Poſtea vſque adeo ſunt plus menſes VIII. Hornotinæ nuces virides ſunt. Vlmus, cum folia cadunt, tum iterum tempeſtiua eſt.

### *Torcularium ſi ædificare voles.* 18.

TORCVLARIVM ſi ædificare voles, quadrariis vaſis, vti contra ora ſient. ad hunc modum vaſa componito: arbores craſſas P. II. altas P. VIIII. cum cardinibus, foramina longa P. III. S. ⚌ exculpta digitos VI. Ab ſolo foramen primum, P. I. S. inter arbores & arbores, & parietes P. II. in II. arbores P. I. ⚌ arbores ad ſtipitem primum directos P. XVI. ſtipites craſſi P. II. alti cum cardinibus P. X. ſucula præter cardines P. VIIII. prelum longum P. XXV. inibi lingulam P. II. S. pauimentum binis vaſis cum canalibus duobus P. XXXIIII. trapetibus locum dextra, ſiniſtra, pauimentum P. XX. inter binos ſtipites vectibus locum P. XXII. Alteris vaſis ex aduerſum ab ſtipite extremo ad parietem, qui pone arbores eſt, P. XX.

Summa

Summa torculario, vaſis quadrariis latitudine P. L X V I. longitudine P. L. I I. Inter parietes arbores vbi ſtatues, fundamenta bona facito alta P. V. inibi lapides ſilices totum forum longum P. V. latum P. I I. S. craſſum P. I. S. Ibi foramen pedicinis duobus facito. ibi arbores pedicino in lapide ſtatuito. Inter duas arbores, quod loci ſupererit, robore expleto, eo plumbum infundito, ſuperiorem partem arborum digitos ſex altã facito ſiet, eo capitulum robuſtum indito, vti ſiet ſtipites vbi ſtent. Fundamenta P. V. facito. ibi ſilicem longum P. I I. S. latum P. I I. S. craſſum P. I I. S. planũ ſtatuito, ibi ſtipites ſtatuito. Item alterum ſtipitem ſtatuito: inſuper arbores ſtipiteſq; trabem planam imponito, latam P. I I. craſſam P. I. longam P. X X X V I I. Vel duplices indito, ſi ſolidas non habebis, ſub eas trabes inter canales, & parietes extremos, vbi trapeti ſtẽt, trabeculam pedum X X I I I. S. imponito ſeſquipedalem, aut binas pro ſingulis eo ſupponito. In iis trabeculis trabes, quæ inſuper arbores ſtipites ſtant, collocato. In iis tignis parietes extruito, iungitoque materiæ, vti oneris ſatis habeat. Aream vbi facies, P. V. fundamenta alta facito, lata. P. V I. aream, & canalem rotundam facito latam P. I I I I. S. = – Cæterum pauimentum totum fundamenta pedum duorum facito. Fundamenta primum feſtucato, poſtea cementis minutis, & calce arenato ſemipedem vnumquodque corium ſtruito. Pauimẽta ad hunc modum facito, vbi libraueris, de glarea, & calce arenato primum corium facito; id pilis ſubigito, idem alterum corium facito. eo calcem cribro ſuccretam indito alte digitos duo. ibi de teſta arida pauimentum ſtruito. vbi ſtructum erit, pauito, fricatoque, vti pauimentum bonum ſiet. Arbores, ſtipiteſque robuſtas facito, aut pineas. Si trabes minores facere voles, canales extra columnam expolito. ſi ita feceris, trabes pedum X X I I. longæ opus erunt. Orbem olearium latum pedibus I I I I. punicanis coagmentis facito, craſſum digitos V I. facito, ſubſcudes iligneas adindito. Eas vbi confixeris, clauis corneis occludito. In eum orbem tris cathenas indito. Eas cathenas cum orbibus clauis ferreis corrigito. Orbem ex vlmo, aut ex corylo facito. Si vtrumq; habebis, alternas indito.

### *In vaſa vinaria ſtipites.* 19.

IN vaſa vinaria ſtipites arboreſque binis pedibus altiores facito, ſupra foramina arborum pedem quæque vti abſient vnæ fibulæ locum facito. ſemipedem quoquouerſum, in ſu,

Digitized by Google

culam ſena foramina indito. foramen, quod primum facies, ſemipedem ab cardine facito, cætera diuidito quam rectiſſime. Porculum in media ſucula facito. Inter arbores medium quod erit, id ad mediam collibrato, vbi porculum figere oportebit. vti in medio prelum recte ſitum ſiet. Lingulam cum facies, de medio prelo collibrato: vt inter arbores bene conueniat, digitum pollicem laxamenti facito. Vectes longiſſimos pedum XIIX. ſecundos pedum XVI. tertios pedum XV. remiſſarios pedum XII. alteros pedum X. tertios pedũ VIII.

### *Trapetum quomodo concinnare oporteat* 20.

COLVMELLAM ferream, quæ in miliario ſtat, eã rectam ſtare oportet in medio ad perpendiculum, cuneis ſalignis circunfigi oportet bene. eo plumbum effundere caueat, ni labet columella. Si mouebitur, eximito; denuo eodem modo facito, ne ſe moueat. Modiolos in orbis, oleaginos ex orchite olea facito, & eos circumplumbato, caueto ne laxi ſient. Si autem labent, in cupam eos indito. tunicas ſolidas, & latas digitum pollicem facito. labeam bifariam faciat, & habeat quas figat clauis duplicibus, ne cadant.

### *Cupam quomodo ædifices.* 21.

CVPAM facito P. X. tam craſſam, quam modioli poſtulabunt, mediam inter orbis, quæ conueniat, tam craſſam quam columella ferrea erit. Eam mediam pertundito, vti in columella indere poſſis. Eo fiſtulam ferream indito, quæ in columellam conueniat, & in cupam. Inter cupam dextra, ſiniſtra pertundito late digitos primoris IIII. alte digitos primoris tres, ſub cupa tabulam ferream lata cupa media erit, pertuſam figito, quæ in columellam conueniat dextra, ſiniſtra. foramina vbi feceris, laminis circumplectito, replicato in inferiorem partem cupæ omnis quatuor laminas: dextra ſiniſtra foramina vtrinque ſecus laminas. Sub laminas pollulas minutas ſupponito, eas inter ſeſe configito, ne foramina maiora fiant, quo cupulæ minuſculæ indentur. Cupam, qua fini in modiolos erit, vtrinque ſecus imbricibus ferreis quatuor deſues, ibi vtrinque ſecus facito, qui figas. imbrices medias clauulis figito. Supra imbrices extrinſecus cupam pertundito, qua clauus eat qui orbem cludat. Inſuper foramen librarium ferreum digitos ſex latum indito, pertuſum vtrunque ſecus qua clauus eat. Hæc omnia eius rei cauſa fiunt, vti ne cupa in lapide conteratur. Ar-

tur. Armillas IIII. facito, quas circum orbem indas, ne cupa & clauus conterantur. Intrinſecus cupam materia vlmea aut faginea facito. Ferrum factum, quod opus erit, vti idem faber figat. HS. LX. opus ſunt, cum plumbum cupam emito HS. IIII. cupam qui concinnet,& modiolos qui indat, & plumbet operas fabri duntaxat HS. VIII. Idem trapetum oportet accommodet. Summa ſumpti HS. LXXII. præter adiutores.

*Trapetum quomodo ædifices.* 22.

TRAPETVM hoc modo accommodare oportet, librator vti ſtatuatur pariter. ab labris digitum minimũ orbem abeſſe oportet. ab ſolo mortarii orbes cauere oportet, ne quid mortarium terant. Inter orbem, & miliarium vnum digitum intereſſe oportet. ſi plus intererit, atq; orbes nimium aberunt, funi circunligato miliarium arcte crebro, vti expleas quod nimium intereſt. Si orbes altiores erunt,atque nimium mortarium deorſum teret,orbiculos ligneos pertuſos in miliariũ, in columellam ſupponito,eo altitudinem temperato.Eodem modo latitudinem orbiculis ligneis, aut armillis ferreis temperato, vſque dum recte temperabitur. Trapetus emptus eſt in Sueſſano HS. CCCC.& olei p.L. compoſturę HS. LX. vectura boum,operas ſex homines VI. cum bubulcis HS. LXII. cupam ornatã HS. LXXII. pro oleo HS. XXV. S. S. HS. DCXXIX. Pompeiis emptus ornatus HS. CCCXXCIIII. Vectura HS. CCXXC. Domi melius concinnatur, & accommodatur. Eo ſumpti opus eſt. HS. LX. Summa, HS. DCCXXIIII. Si orbes in veteres trapetos parabis medios craſſos P. I. digitos III. altos P. I. foramen ſemipedem quoquouerſum. eos cum aduexeris, ex trapeto temperato. Ii emuntur ad Rufri macerias HS. CXXC. temperãtur HS. XXX. tantidem Pompeiis emitur.

*Ad vindemiam quæ opus ſunt vt parentur.* 23.

FACE ad vindemiam, quæ opus ſunt, vti parentur. vaſa lauentur: corbulæ ſarciantur: picentur dolia: quæ opus ſunt, picentur. cum pluet,quala parentur, ſarciantur. far molatur. Bennæ emantur. oleę caducæ ſalliantur. Vuas miſcellas ad vinum præliganeum, quod operarii bibant, vbi tempus erit,legito. ſiccum puriter omnium dierum pariter in dolia diuidito. Si opus erit, defrutum indito in muſtum,de muſto lixiuo coctum, partem quadrageſimã addito defruti, vel ſalis ſeſqui-

ſibram in culleum. Marmor ſi indes in culleum, libram indito. id indito in vrnā, miſceto cum muſto. id indito in dolium reſinam ſi indes, in culleum muſti. P. I I I. bene comminuito, indito in fiſcellam & facito vti in dolio muſti pendeat. eam quaſſato crebro, vti reſina cōdeliqueſcat. Indideris defrutum. aut marmor, aut reſinam, dies X X. permiſceto crebro, tribulato quotidie. Tortiuum muſtum circumcidaneum ſuo cuique dolio diuidito, additoque pariter.

*Vinum Græcum quomodo fiat.* 24.

VINVM Græcū hoc modo fieri oportet: Vuas Apicias percoctas bene legito. vbi delegeris, in eius muſti culleum aquæ marinæ veteris quadrantalia I I. vel ſalis puri modium. Eum in fiſcella ſuſpendito, ſinitoque cum muſto diſtabeſcat. Si helueolum vinum facere voles, dimidiū helueoli, dimidium apicii vini indito, defruti veteris partem trigeſimā addito. Quicquid vini defrudabis, partem trigeſimam defruti addito.

*Vua cocta vt ſeruetur.* 25.

QVVM vinum coctum erit, & quū legetur, facito vti ſeruetur familiæ primum ſuiſque, facitoq; ſtudeas bene percoctum ſiccumque legere, ne vinum nomen perdat. Vinaceos quotidie recentes ſuccernito, lecto retibus ſubtento cribrum illius rei parato, eos conculcato in dolia picata, vel in lacum vinarium picatum. id bene operito, iubeto oblini, quod des bubus per hiemem. Indidem, ſi voles, lauito. paulatim erit lorea familiæ, quod bibat.

*Vindemia facta vt vaſa torcula ſubligentur.* 26.

VINDEMIA facta vaſa torcula, corbulas, fiſcinas, funes, patibula, fibulas iubeto ſuo quidquid loco cōdi. Dolia cum vino bis in die face extergeantur. Priuaſq; ſcopulas in dolia facito habeas illi rei, qui labra doliorum circumfrices. Vbi erit lectū dies triginta, ſi bene deacinata erunt dolia, oblinito. Si voles de fęce demere vinum, tum erit ei rei optimum tempus.

*Sementim vt facias.* 27.

SEMENTIM facito, ocinū, viciam, fœnum Græcum, fabā, eruum, pabulū bubus. Alteram, & tertiā pabuli ſationem facito. Deinde alias fruges ſerito. Scrobis in veruacto oleis, vlmis, vitibus, ficis, ſimul cum ſemine ſerito. Si erit locus ſiccus, tum

oleas

poſt meridiem,ſine vento auſtro. Tum erit tempeſtiua, cum ſemen ſuum maturum erit. Cauetoque per rorem trahas, aut doles. Quæ materies ſemen non habebit, cum glubet,tempeſtiua erit. Vento auſtro caueto,ne quam materiem,neue vinū tractes,niſi neceſſario.

*Vineæ arboreſq; vt mature putentur.* 32.

VINEAS, arboreſque mature face incipias putare. Vites propages ſulcos, ſurſum vorſum, quo ad eius facere poteris, vitis facito vti ducas. Arbores hoc modo putentur, rami vti diuaricentur, quos relinques, & vti recte cædantur, & ne nimium crebri relinquantur. vites bene nodentur per omnes ramos. diligenter caueto ne vitem præcipites, & ne nimium perſtringas. Arbores facito vti bene maritæ ſint, viteſque vti ſatis multæ aſſerantur, & ſicubi opus erit, de arbore deiiciantur, & in terram deprimantur, & biennio poſt præcidito veteres.

*Vinea vt curetur.* 33.

VINEAM ſic facito, vti curetur: Vitem bene enodatam deligato recte,flexuoſa vti ne ſiet, ſurſum vorſum ſemper ducito, quoad eius poteris, vinarios, cuſtodeſque recte relinquito. Quam altiſſimam vineam facito, alligatoque recte, dum ne nimium cōſtringas, hoc modo eam curato. Capita vitium per ſementim ablaqueato. Vineam putatam circunfodito. arare incipito,vltro citroque ſulcos perpetuos ducito. Vites teneras quamprimum propagato, ſic occato veteres, quam minimum caſtrato; potius, ſi opus erit, deiicito,biennioque poſt præcidito. Vitem nouellam reſecari tum erit tempus, vbi valebit. Si vinea a vite calua erit, ſulcos interponito, ibique viuiradicem ſerito, vmbram ab ſulcis remoueto crebroque fodito. In vinea vetere ſerito ocinum. Si macra erit,quod granū capiat ne ſerito, & circum capita addito ſtercus, paleas, vinaceas, aliquid horum, quo rectius valeat. Vbi vinea frondere cœperit, pampinato. Vineas nouellas alligato crebro, ne caules perfringantur. Et quæ iam in perticam ibit, eius pampinos teneros alligato leuiter, corrigitoque, vti recte ſpectent, Vbi vua varia fieri cœperit, vites ſubligato,pampinato,vuaſq; expellito,circum capita ſarito.

*Salictum vt ſuo tempore cædatur.*

SALICTVM ſuo tempore cædito,glubito, arcteque alligato. Li-

Ex ſegete vellito ebulum, cicutam, & circum ſalicta herbam altam, vluamque. eā ſubſternito ouibus, bubuſq;, frōdem putidam. partem de nucleis ſuccernito & in lacum cōiicito, eo aquam addito, permiſceto rutro bene. Inde lutū circum oleas ablaqueatas addito, nucleos cōbuſtos itē addito. Vitis ſi macra erit, ſarmenta ſua concidito minute, & ibidem inarato, aut infodito. Per hiemē lucubratione hæc facito. Ridicas & palos quos pridie in tecto poſueras, ſiccos dolato, faculas facito. Stercus egerito, niſi intermeſtri, lunaq; dimidiata. tum ne tangas. Materiam quā effodies aut præcides, abs terra diebus ſeptem proximis quibus luna plena fuerit, optime eximetur. Omnino caueto, ne quam materiam doles, neu cædas, neu tangas ſi potes, niſi ſiccam, neu gelidam, neu rorulentam. Frumenta face bis ſarias runceſque, auenamque deſtringas.

*De vinea & arboribus putatis.*

De vinea & arboribus putatis ſarmenta degere, & fiſcinam facere, & vitis, & ligna in caminum ficulna, & codicillos domino in aceruum componeto.

*De fornace calcaria.* 38.

Fornacem calcariam pedes latam x. facito, altam pedes xx. vſque ad pedes III. ſummam latam redigito. Si vno præfurnio coques, lacunam intus magnam facito, vti ſatis ſiet, vbi cinerem concipiat ne foras ſit educendus. Fornacemque bene ſtruito. facito fortax totam fornacem infimā complectatur. Si duobus præfurniis coques, lacuna nihil opus erit. Cum cinere eruto opus erit, altero præfurnio eruito, in altero ignis erit. Ignem caueto ne intermittas, quin ſemper ſiet, neue noctu, neue vllo tempore intermittatur, caueto. Lapidem bonum, in fornacem, quam candidiſſimum, quamminime varium indito. Cum fornacem facies, fauces præcipites deorſum facito. Vbi ſatis foderis, tum fornaci locum facito, vti quam altiſſima, & quamminime ventoſa ſiet. Si parum altam fornacem habebis, vbi facias lateres ſummam ſtatuito, aut cementis cum luto ſummum extrinſecus oblinito. Cum ignem ſubdideris, ſiqua flamma exibit, niſi per orbem ſummum luto oblinito. Ventus ad præfurnium caueto ne accedat. Inibi auſtrum caueto maxime. Hoc ſigni erit, vbi calx cocta erit, ſummos lapides coctos eſſe oportebit. item infimi lapides cocti cadent, & flamma minus fumoſa exibit. Si ligna & virgas non poteris vendere, neque lapidem habebis

vnde

vnde calcem coquas, de lignis carbones coquito, virgas & ſarmenta, quæ tibi vſioni ſupererunt, in ſegete comburito. Vbi eas combuſſeris, ibi papauer ſerito.

*Vbi tempeſtates malæ erunt quid fieri poſſit.* 39.

VBI tempeſtates malæ erunt, cum opus fieri non poterit, ſtercus in ſterquilinium egerito. Bubile, ouile, cortem, villam bene purgato. Dolia plumbo vincito, vel materie quernea, viri ſicca alligato. Si bene ſarſeris, aut bene alligaueris, & in rimas medicamẽtum indideris, beneque picaueris quoduis dolium, vinarium facere poteris. Medicamentum in dolium hoc modo facito: Ceræ P. I. reſinæ P. I. ſulfuris P. ⁘. Hæc omnia in calicem nouum indito. eo addito gypſum contritum, vti craſſitudo fiat quaſi emplaſtrum, eo dolia ſarcito. Vbi ſarſeris, qui colorem eundem facias, cretæ crudæ partes duas, calcis tertia commiſceto: inde laterculos facito, coquito in fornacem, eum conterito, idque inducito. Per imbrem in villam quęrito quid fieri poſſit. Ne ceſſetur munditias facito. Cogitato, ſi nihil fiet, nihilo minus ſumptum futurum.

*Per ver quæ fiant.* 40.

PER ver hæc fieri oportet. Sulcos & ſcrobes fieri ſeminariis. Vitiariis locum verti. vites propagari. In locis craſſis & humectis vlmos, ficos, poma, oleas ſeri oportet. Ficos, oleas, mala, pira, vites inſeri oportet luna ſilenti poſt meridiem, ſine vento auſtro. Oleas, ficos, pira, mala hoc modo inſerito: Quem ramum inſiturus eris, præcidito, inclinato aliquantum, vt aqua defluat. Cum præcides, caueto ne librum conuellas. Sumito tibi ſurculum durum, eum præacuito, ſalicem Græcam diſcindito, argillam, vel cretam coaddito, arenæ paululum, & fimum bubulum. Hæc vna bene condepſito, quam maxime vti lentum fiat, capito tibi ſciſſam ſalicem, ea ſtirpem præciſum circumligato, ne liber frangatur. Vbi id feceris, ſurculum aridum præacutum inter librum & ſtirpem artito primores digitos duos, poſtea capito tibi ſurculum. quod genus inſerere voles, eum primorem præacuito obliquum primores digitos duos. ſurculũ aridum quem artiueras, eximito, eo artito ſurculum: quem inſerere voles librum ad librum vorſum facito, artito vſque adeo quo præacueris. Idem alterum ſurculum tertium, quartum facito. Quot genera voles, tot indito. ſalicem Græcã amplius circumligato, luto depſto ſtirpẽ oblinito, digitos craſſos III. Inſuper lingua bubula obtegito,

ſi pluat, ne aqua in librum permanet. eam linguam inſuper librum alligato, ne cadat. Poſtea ſtramentis circundato, alligatoque, ne gelus noceat.

*Inſitio vitis aliarumque rerum.* 41.

VITIS inſitio vna eſt per ver, altera eſt cum vua floret, ea optima eſt. Pirorum ac malorum inſitio per ver, & per ſolſtitium dies quinquaginta, & per vindemiam. Oleæ & ficorum inſitio eſt per ver. Vitem ſic inſerito, præcidito quam inſeres, eam mediam diffindito per medullam. eo ſurculos præacutos artito. Quos inſeres, medullam cum medulla componito. Altera inſitio eſt: Si vitis vitem continget, vtriuſque vitem teneram præacuito, obliquo inter ſeſe medullam cum medulla libro colligato. Tertia inſitio eſt: Terebra vitem quam inſeres, pertundito, eo duos ſurculos vitigineos, quod genus eſſe voles, inſectos obliquos artito ad medullã. facito iis medullam cum medulla coniungas, artitoque ea qua terebraueris, alterum ex altera parte. Eos ſurculos facito ſint longi pedes binos: eos in terram dimittito, replicatóq; ad vitis caput, medias vitis vinclis in terram defigito, terraque operito. Hæc omnia luto depſto oblinito, alligato, integitoque ad eundem modum, tanquam oleas.

*Ficos & oleas alio modo.* 42.

FICOS & oleas altero modo, quod genus aut ficum, aut oleam eſſe voles, inde librum ſcalpro eximito, alterum librum cum gemma de eo fico, quod genus eſſe voles, eximito; apponito in eum locum, vnde excecaueris in alterum genus, facitoque vti conueniat. Librum longum facito digitos III. s. latum digitos tres. ad eundem modum oblinito, integito, vti cætera.

*Sulcos quomodo facias.* 43.

SVLCOS, ſi locus aquoſus erit, alueatos eſſe oportet latos ſummos pedes III. altos pedes IIII. infimum latum pedem vnum, & palmum, eos lapide conſternito. ſi lapis nõ erit, perticis ſaligneis viridibus controuerſis collatis cõſternito: ſi pertica non erit, ſarmentis colligatis. Poſtea ſcrobes facito altos P. III. s. latos pedes IIII. & facito de ſcrobe aqua in ſulcum defluat, ita oleas ſerito.

*Vitibus ſulcos propagationeſque.*

VITIBVS ſulcos & propagines, ne minus pedibus II. s.

quo

reſecato. vbi trima erit, eximito, ſi pecus paſcetur. vbi vitem ſerere voles, ter prius reſecato, quam ad arborem ponas. vbi V nodos veteres habebit, tum ad arborem ponito. quotannis porrinam inſerito, quotannis habebis quod eximas.

*Pomarium ſeminarium.* 48.

POMARIVM ſeminarium ad eundem modũ, atque oleagineum facito. Suum quidquid genus talearum ſerito. Semen cupreſſi vbi ſeres, bipalio vortito. vere primo ſerito. porcas pedes quinos latas facito: eo ſtercus minutum addito, conſarito, glebaſque comminuito. Porcam planam facito, paulum concauam. Tum ſemen ſerito, cribro tanquam linum, eo terram cribro incernito, altam digitum tranſuerſum. Eam terram tabula aut pedibus complanato, furcas circum offigito. eo perticas intendito. eo ſarmenta aut crates ficarias imponito, quæ frigus defendant, & ſolem. vti ſubtus homo ambulare poſſit, facito: crebro runcato: ſimul herbæ inceperint naſci, eximito. Nam ſi herbam duram velles, cupreſſos ſimul euelles. Ad eundem modũ ſemen pirorum, malorum ſerito, tegitoq;. Nuces pineas ad eundem modum, niſi tanquam alium ſerito.

*De vinea vetere.* 49.

VINEAM veterem ſi in alium locum trãsferre voles, duntaxat brachium craſſam licebit. Primũ deputato, binas gemmas, ne amplius relinquito. Ex radicibus bene effodito, vſque radices perſequitor, & caueto ne radices ſaucies. ita vti fuerit, ponito in ſcrobe, aut in ſulco, operitoque, & bene occulcato. Eodemque modo vineam ſtatuito, alligato, flexatoque vti fuerit, crebroque fodito.

*Prata quomodo ſtercorentur.* 50.

PRATA primo vere ſtercorato luna ſilenti. Quæ irrigua non erunt, vbi fauonius flare cœperit. Cum prata defendes, depurgato, herbaſque malas omneis radicitus effodito. Vbi vineam deputaueris, aceruum lignorum virgarumque facito. Ficos interputato, & in vinea ficos ſubradito alte, ne eas vitis ſcandat. Seminaria facito, & vetera reſarcito. Hoc facito antequam vineam fodere incipias.

*Vbi daps profanata erit, quid fiat.*

VBI daps profanata comeſtaque erit, verno arare incipito, & loca primum arato quæ ſiccisſima erunt: & quæ craſſiſſima & aquo-

deinde ea pro fœno dato. Vbi verno dare cœperis, modium glandis aut vinaciorum dato, aut modium lupini macerati, & fœni pondo xv. Vbi ocinum tempeſtiuum erit, dato primum. Manibus carpito, id renaſcetur, quod falcula ſecueris, non renaſcetur. Vſque ocinum dato, donec areſcat, ita temperato, poſtea viciam dato, poſtea panicum dato, ſecundum panicum frondem vlmeam dato. Si populneam habebis, admiſceto, vt vlmea ſatis ſiet. Vbi vlmeam non habebis, querneam & ficulneam dato. Nihil eſt quod magis expediat, quam boues bene curare. Boues niſi per hiemem, cum non arabunt, paſci non oportet. Nam viride cum edunt, ſemper id expectant. & fiſcellas habere oportet, ne herbam ſectentur cum arabunt.

*De lignis domini.* 55.

LIGNA domino in tabulato condito, codicillos oleagineos, radices in aceruo ſub dio metas facito.

*Familiæ cibaria quanta dentur.* 56.

FAMILIAE cibaria qui opus facient per hiemem, tritici modios IIII. per æſtatem modios IIII. s. vilico, vilicæ epiſtatæ, opilioni modios III. Compeditis per hiemem panis P. IIII. Vbi vineā fodere cœperint, panis P. V. vſque adeo dum ficus eſſe cœperint, deinde ad P. IIII. redito.

*Vinum familiæ quantum detur.* 57.

VINVM familiæ, vbi vindemia facta erit, loram bibant menſes III. Menſe quarto heminas in dies, id eſt, in menſe congios II. s. Menſe quinto, ſexto, ſeptimo, octauo, in dies ſextarios, id eſt, in menſe congios quinque. nono, decimo, vndecimo, in dies heminas ternas: id eſt amphoram. Hoc amplius Saturnalibus, & Compitalibus in ſingulos homines congios. Summa vini in homines ſingulos inter annum cum compeditis vti quicquid operis facient pro portione addito. Eos non eſt nimium in annos ſingulos vini quadrantalia x. ebibere.

*Pulmentarium familiæ quantum detur.* 58.

PVLMENTARIVM familiæ, oleæ caducæ quam plurimum condito. Poſtea oleas tempeſtiuas, vnde minimum olei fieri poterit, eas condito, parcito, vti quamdiutiſſime durent. vbi oleæ comeſæ erunt, halecem & acetum dato. Oleum

dato

creſcere. Quam citiſſime conficies, tam maxime expediet, & totidem modiis collectæ plus olei efficient, & melius. Olea quę diu fuerit in terra, aut in tabulato, inde olei minus fiet & deterius. Oleum ſi poteris, bis in die depleto. Nam oleum quamdiutiſſime in amurca & in fracibus erit, tam deterrimum erit.

*Oleum viride quomodo fiat.* 65.

OLEVM viride ſic facito: Oleam quamprimum ex terra tollito. Si inquinata erit, lauito, a foliis & ſtercore purgato. Poſtridie aut poſt diem tertium, quam lecta erit, facito. Oleam vbi nigra erit, ſtringito. Quam acerbiſſima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. Domino de matura olea oleum fieri maxime expediet. Si gelicidia erunt, cum oleam coges, triduum, aut quatriduum poſt oleum facito. Eam oleam, ſi voles, ſale inſpergito. Quam calidiſſimum torcularium & cellam habeto.

*Cuſtodis & capulatoris officia.* 66.

SERVET diligenter cellam & torcularium. Caueat quamminimum in torcularium & in cellam introeatur. Quammundiſſime puriſſimeque fiat, vaſo aheneo, neq; nucleis ad oleum ne vtatur. nam ſi vtetur, oleum male ſapiet. Cortinam plumbeam in lacum ponito, quo oleum fluat. vbi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum, quamdiligentiſſime poterit, tollat, nec ceſſet. Amurcam caueat ne tollat. Oleum in labrum primum indito. Inde in alterum dolium indito. De iis labris fraces, amurcamque ſemper ſubtrahito. Cum oleum ſuſtuleris de cortina, amurcam dehorito.

*Item cuſtodis officia.* 67.

QVI in torculario erunt, vaſa pura habeant, curentque vti olea bene perficiatur, beneque ſiccetur. Ligna in torculario ne cædant. Oleum frequenter capiant. Factoribus det in ſingulos factus, olei ſextarios, & in lucernam quod opus ſiet. Fraces quotidie reiiciat. amurcam commutet vſqueadeo, donec in lacum, qui in cella eſt, poſtremum peruenerit, fiſcinas ſpongia effingat, Quotidie oleo lacum commutet, donec in dolium peruenerit. In torculario & in cella caueat diligenter, nequid olei ſurripiatur.

*Vaſa olearia & vinaria extollere.* 68.

VBI vindemia & oleitas facta erit, prela extollito, funes torculos,

uato. Farinam in mortarium indito, aquæ paulatim addito, ſubigitoque pulchre. vbi bene ſubegeris, defingito, coquitoque ſub teſtu.

*Libum hoc modo facito.* 75.

LIBVM hoc modo facito. Caſei P. II. bene diſterat in mortario. vbi bene diſtriuerit, farinæ ſiligineæ libram, aut ſi voles tenerius eſſe, ſelibram ſimilaginis ſolum eodem indito, permiſcetoque cum caſeo bene, ouum I. addito, & vna permiſceto bene. Inde panem facito. Folia ſubdito, in foco caldo ſub teſtu coquito leniter.

*Placentam ſic facito.* 76.

PLACENTAM ſic facito. Farinæ ſiligineæ L. II. vnde ſolum facias in tracta, farinæ L. IIII. & alicæ primæ L. II. alicā in aquam infundito. vbi bene mollis erit, in mortarium purum indito, ſiccatoque bene. Deinde manibus depſito. vbi bene ſubactum erit, farinæ L. IIII. paulatim addito, id vtrinque tracta facito. In qualo, vbi areſcant, componito. vbi areſbunt, componito puriter, tum facies in ſingula tracta. Vbi depſueris, panno oleo vncto tangito, & circuntergeto, vnguitoque vbi tracta erunt. focum, vbi coquas, calfacito bene, & teſtum. Poſtea farinæ L. II. conſpergito, condepſitoque. Inde facito ſolum tenue caſei ouilli P. XIIII. ne acidum ſiet, & bene recens in aquam indito; ibi macerato, aquam ter mutato. Inde eximito, ſiccatoque bene paulatim manibus, ſiccum bene in mortarium imponito. Vbi omne caſeum bene ſiccaueris, in mortarium purum manibus condepſito, comminuitoque quam maxime. Deinde cribrum farinarium purum ſumito, caſeumque per cribrum facito tranſeat in mortarium. Poſtea indito mellis boni P. IIII. S. id vna bene commiſceto cum caſeo. Poſtea in tabula pura, quæ pateat P. I. ibi balteum ponito, folia laurea vncta ſupponito, placentam fingito. Tracta ſingula in totum ſolum primum ponito, deinde de mortario tracta linito, tracta addito ſingulatim, item linito vſqueadeo, donec omne caſeum cum melle aduſus eris. In ſummum tracta ſingula indito, poſtea ſolum contrahito, ornatoque focum. * de ue primo, tēperatoque. Tunc placentam imponito, texto caldo operito, pruna inſuper, & circum operito. Videto, vt bene, & otioſe percoquas. aperito, dum inſpicias bis, aut ter. vbi cocta erit, eximito, & melle vnguito: hæc erit placenta ſemodialis.

Spiram

in vnum vas liceto coniicere. Eam rem diuinã vel ſeruus, vel liber licebit faciat. Vbi res diuina facta erit, ſtatim ibidem conſumito. Mulier ad eam rem diuinã ne adſit, neue videat quomodo fiat. Hoc votũ in annos ſingulos, ſi voles, licebit vouere.

*Sauillum ſic facito.* 84.

SAVILLVM hoc modo facito. Farinæ ſelibram, caſei P. II. S. vna commiſceto quaſi libum mellis P. ꝫ. & ouum vnum. Catinum fictile oleo vnguito. Vbi omnia bene commiſcueris, in catinum indito. Catinũ texto operito. videto vt bene percoquas medium, vbi altiſſimum eſt. vbi coctum erit, catinum eximito, melle vnguito, papauer infriato, ſub textum ſubde pauliſper, poſtea eximito. ita pone cum catillo, & lingulis.

*Pultem punicam ſic facito.* 85.

PVLTEM punicam ſic coquito. Libram alicę in aquam indito, facito vti bene madeat. Id infundito in alueum purum, eo caſei recentis P. III. mellis. P. S. ouum vnum, omnia vna permiſceto bene. Ita inſipito in aulam nouam.

*Graneam triticeam ſic facito.* 86.

GRANEAM triticeam ſic facito. Selibram tritici puri in mortarium purum indat, lauet bene, corticemque deterat bene, eluatque bene. Poſtea in aulam indat, & aquam puram, coquatque. Vbi coctum erit, lacte addat paulatim vſque adeo, donec cremor craſſus erit factus.

*Amulum ſic facito.* 87.

AMVLVM ſic facito. Siliginem purgato bene, poſtea in alueum indat, eo addat aquam bis in die. Die decimo aquam exſiccato, exurgeto bene, in alueo puro miſceto bene, facito tãquam fæx fiat. Id in linteum nouum indito, exprimito cremorem in patinam nouã, aut in mortariũ. id omne ita facito, & refricato denuo. Eam patinam in ſole ponito, areſcat. vbi arebit, in aulam nouam indito, inde facito cum lacte coquat.

*Salem candidum ſic facito.* 88.

SALEM candidum ſic facito. Amphoram defracto collo puram impleto aquæ puræ, in ſole ponito: ibi fiſcellam cũ ſale populari ſuſpendito, & quaſſato, ſuppletoque identidem. Id aliquoties in die quotidie facito, vſqueadeo donec ſal deſiuerit tabeſcere biduum. Id ſigni erit, mænam aridam, vel ouum demittito: ſi natabit, ea muries erit. vel carnem, vel caſeos, vel ſalſamenta quo cõdias. Eam muriam in labella, vel in patinas in ſole

*Fici vti groſſos teneant.* 94.

FICI vti groſſos teneant, facito omnia, quo modo oleæ, & hoc amplius, cum ver adpetet, terram adaggerato bene. Si ita feceris, & groſſi non cadent, & fici ſcabræ non fient, & multo feraciores erunt.

*Conuolulus in vinea ne ſiet.* 95.

CONVOLVVLVS in vinea ne ſiet, amurcã condito, puram bene facito, in vas ahenum indito congios II. poſtea igni leni coquito, rudicula agitato crebro, vſque adeo, dum fiat tam craſſum, quam mel. Poſtea ſumito bituminis tertiarium, & ſulfuris quartarium. Conterito in mortario ſeorſum vtrunque. Poſtea infriato quam minutiſſime in amurcam caldam, & ſimul rudicula miſceto, & denuo coquito ſub dio. Nam ſi in tecto coquas, cum bitumen & ſulfur additum eſt, excandeſcet. Vbi erit tam craſſum, quam viſcum, ſinito frigeſcat. Hoc vitem circum caput, & ſub brachia vnguito, conuoluulus non naſcetur.

*Oues ne ſcabræ fiant.* 96.

OVES ne ſcabræ fiant, amurcam condito, puram bene facito, aquam vbi lupinus deferuerit, & fæcem de vino bono inter ſe omnia commiſceto pariter. Poſtea cum detonderis, vnguito totas, ſinito biduum aut triduum conſudent. Deinde lauito in mari: ſi aquam marinam nõ habebis, facito aquam ſalſam, ea lauito. Si hæc ſic feceris, neque ſcabræ fient, & lanæ plus, & meliorem habebunt, & ricini non erunt moleſti. Eodem in omnes quadrupedes vtito, ſi ſcabræ erunt.

*Amurca axem vnguito.* 97.

AMVRCA decocta axem vnguito, & lora, & calciamenta, & coria omnia meliora facies.

*Veſtimenta ne tineæ tangant.* 98.

VESTIMENTA ne tineæ tangant, amurcam decoquito ad dimidium; ea vnguito fundum arcæ, & extrinſecus, & pedes, & angulos. Vbi ea adaruerit, veſtimenta condito. Si ita feceris, tineæ non nocebunt. Et item ligneam ſupellectilem omnem ſi vngues, non puteſcet: & cum ea terſeris, ſplendidior fiet. Item ahenea omnia vnguito, ſed prius extergeto bene. Poſtea cum vnxeris, cum vti voles, extergeto, ſplendidior erit, & ærugo non erit moleſta.

Muſti quadrantalia xx. in aheneum, aut plumbeum infundito, ignem ſubdito. vbi bullabit vinum, ignem ſubducito. Vbi id vinum refrixerit, in dolium quadragenarium infundito, ſeorſum in vas aquæ dulcis quadrantal I. infundito. ſalis $\overset{O}{M}$ I. ſinito muriam fieri. Vbi muria facta erit, eodem in doliũ infundito. Schœnum, & calamum in pila contundito, quod ſiet ſextarium vnum eodem in dolium infundito, vt odoratum ſiet. Poſt dies xx. doliũ oblinito. Ad ver diffundito in amphoras. Biennium in ſole ſinito poſitum eſſe. Deinde in tectum conferto. Hoc vinum deterius non erit, quam coum.

*Aquæ marinæ concinnatio.* 106.

AQVAE marinæ quadrantal I. ex alto ſumito, quo aqua dulcis non accedit, ſeſquilibram ſalis frigito, eodem indito, & rude miſceto vſqueadeo, donec ouum gallinaceum coctũ natabit, deſinito miſcere. Eodem vini veteris, vel aminnii, vel miſcelli albi congios II. infundito, miſceto probe. Poſtea in vas picatum confundito, & oblinito. Siquis plus voles aquæ marinæ concinnare, pro portione, ea omnia facito.

*Quo labra doliorum circunlinas, vt bene odorata ſient, & nequid vitii in vinum accedat.* 107.

SAPAE congios VI. quamoptime infundito in aheneum, aut in plumbeum. & iris aridæ contuſæ heminam, & ſertam campanicam P. V. bene odoratam, vna cum iri contundas, quamminutiſſime per cribrum cernas, & vna cum ſapa coquas ſarmentis, & leui flamma commoueto. Videto, ne aduras. vſque coquito, dum dimidium excoquas. Vbi refrixerit, confundito in vas picatum bene odoratũ, & oblinito, & vtito in labra doliorum.

*Vinum ſi voles experiri.* 108.

VINVM ſi voles experiri duraturum ſit, nec ne, polentam grandem dimidium acetabuli in caliculum nouum indito, & vini ſextarium de eo vino quod voles experiri, eodem infundito, & imponito in carbones, facito bis, aut ter inferueat. Tũ id percolato, polentam adiicito. Vinum ponito ſub dio. Poſtridie mane guſtato. Si id ſapiet, quod in dolio eſt, ſcito duraturum. Si ſubacidum erit, non durabit.

*Vinum aſperum lene fieri.* 109.

VINVM aſperum quod erit, lene & ſuaue ſi voles facere, ſic facito. De eruo farinam facito lib. IIII. & vini cyathos IIII. conſpergito ſapa. Poſtea facito laterculos. Sinito combibant no-



Digitized by Google

voles, de lacu quāprimum vinū in dolia indito, ſinito dies xv. operta ante quam oblinas, relinquito qua interſpiret vinum. poſtea oblinito. Poſt dies xl. diffundito in amphoras, & addito in ſingulas amphoras ſapæ ſextarium vnum. Amphoras nolito implere nimium anſarum infimarum fini. & amphoras in ſole ponito, vbi herba non ſiet. & amphoras operito, ne aqua accedat, & ne plus quatriduum in ſole ſiueris. Poſt quatriduum in culleum componito, & inſtipato.

*Vinum ſi voles concinnare vt aluum bonam faciat.* 114.

Vinvm ſi voles concinnare, vt aluum bonam faciat, ſecundum vindemiam, vbi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei ſatis eſſe vini, tot vites ablaqueato, & ſignato. earum radices circunſecato, & purgato. Veratri radices contundito in pila, eas radices dato circum vitem. & ſtercus vetus, & cinerem veterem, & duas partes terrę circundato radices vitis. terram inſuper iniicito. Hoc vinum ſeorſum legito. Si voles ſeruare in vetuſtatem, ad aluum mouendam ſeruato, nec commiſceas cum cætero vino. De eo vino cyathum ſumito, & miſceto aqua, & bibito ante cœnam. Sine periculo aluum mouebit.

*In vinum muſtum veratri atri.*

In vinum muſtum veratri atri manipulum coniicito in amphoram. vbi ſatis efferuerit, de vino manipulum eiicito, id vinum ſeruato ad aluum mouendam.

*Vinum ad aluum mouendam.* 115.

Vinvm ad aluum mouendam concinnare ſi voles: Vites cum ablaqueabuntur, ſignato rubrica, ne admiſceas cum cætero vino. Treis faſciculos veratri atri circumponito circum radices, & terram inſuper iniicito. Per vindemiam de iis vitibus, quod delegeris, ſeorſum ſeruato, cyathum in cæteram potionem indito, aluum mouebit, & poſtridie perpurgabit ſine periculo.

*Lentim quomodo ſerues.* 116.

Lentim quomodo ſeruari oporteat. Laſerpitium aceto diluito, permiſceto lentim aceto laſerpitiato, & ponito in ſole. Poſtea lentim oleo perfricato, ſinito areſcat, ita integra ſeruabitur recte.

*Oleæ albæ quomodo condiantur.* 117.

Oleae albæ quemadmodum condiantur. Ante quam nigræ fiant

*Vt canes interdiu concluſos habeas.* 124.

CANES interdiu clauſos eſſe oportet, vt noctu acriores & vigilantiores ſint.

*Vinum murteum q. a. m. facere debeas.* 125.

VINVM murteum ſic facito: Murtam nigram arfacito in vmbra. vbi iam paſſa erit, ſeruato ad vindemiam, in vrnam muſti contundito murtæ ſemodium, id oblinito: Vbi deſiuerit feruere muſtum, murtã eximito. Id eſt ad aluum crudam, & ad lateris dolorem, & ad cœliacum.

*Ad tormina & ſi aluus non conſiſtat.* 126.

AD tormina, & ſi aluus non conſiſtet, & ſi tineæ, & lumbrici moleſti erunt, XXX. mala punica acerba ſumito, contundito, indito in vrceum, & vini nigri auſteri congios tres: vas oblinito, poſt dies XXX. aperito, & vtito: ieiunus heminam bibito.

*Ad dyſpepſiam & ſtranguriam.* 127.

AD dyſpepſiam & ſtranguriam mederi malum punicum vbi florebit, colligito. Tris minas in amphoram infundito. vini Q. I. veteris addito, & fœniculi radicem puram contuſam minam. Oblinito amphoram, & poſt dies XXX. aperito & vtitor. Vbi voles cibum concoquere, & lotium facere, hinc bibito quantum voles ſine periculo. Idem vinum tinias perpurgat, & lumbricos, ſi ſic concinnes. Incœnatum iube eſſe, poſtridie thuris drachmam I. conterito, & mel coctum drachmam vnam, & vini ſextarium origaniti, dato ieiuno, & puero pro ætate triobolum, & vini heminam. Supra pilam inſcendat, & ſaliat decies, & deambulet.

*Habitationem delutare.* 128.

SI habitationem delutare vis, terram quammaxime cretoſam, vel rubricoſam ſumito, eo amurcam infundito, paleas indito. ſinito quatriduum fraceſcat. vbi bene fracuerit, rutro concidito. vbi concideris, delutato. Ita neque aſpergo nocebit, neque mures caua facient, neque herba naſcetur, neque lutamenta ſcindent ſe.

*Area quomodo fiat.* 129.

AREAM vbi frumentum teratur, ſic facito: Confodiatur minute terra, amurca bene conſpergatur, vt combibat quamplurimum. comminuito terram, & cylindro aut pauicula coæquato.

*Anteqꝫam meſſem incipias, vt porcam præcidaneam facias* 134.

PRIVSQVAM meſſim facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porco fœmina, priuſquam haſce fruges condaſſtur, far, triticum, ordeum, fabam, ſemen rapicium, thure, vino, Iano, Ioui, Iunoni præfato. Priuſquam porcum fœminam immolabis, Iano ſtruem commoueto ſic: Iane pater, te hac ſtrue commouenda bonas preces precor, vti ſies volens propitius mihi, liberiſque meis, domo familiæq; meæ. Ferctum Ioui moueto & mactato ſic: Iupiter te hoc fercto obmouendo bonas preces precor, vti ſies volens propitius mihi liberiſque meis, domo familiæque meæ mactus hoc fercto. Poſtea Iano vinum dato ſic: Iane pater, vti te strue cõmouenda bonas preces bene precatus ſum, eiuſdem rei ergo macte vino inferiori eſto. Poſtea Ioui ſic: Iupiter macte fercto eſto, macte vino inferiori eſto. Poſtea porcam præcidaneam immolato. Vbi exta proſecta erunt, Iano ſtruem commoueto, mactatoque item vti prius obmoueris. Ioui ferctum obmoueto, mactatoque item vti prius feceras. Item Iano vinum dato, & Ioui vinum dato, ita vti prius datum ob ſtruem obmouendam, & ferctum libandum. poſtea Cereri exta, & vinum dato.

*Quemadmodũ tunicas, cæteraſque res & vbi emas.* 135.

ROMAE tunicas, togas, ſaga, centones, ſculponeas: Calibus, & Minturnis, cucullіones, ferramenta, falces, palas, ligones, ſecures, ornamenta, murices, catellas: Venafro, palas: Sueſſæ, & in Lucanis ploſtra, treblæ Albæ: Romæ dolia, labra: tegulæ ex Venafro. Aratra in terram validam romanica bona erunt, in terram pullam campanica, iuga romanica optima erunt. Vomis indutilis optimus erit. Trapeti Pompeiis. Nolæ ad Rufri maceriam claues. Cloſtra Romæ. Hamæ, vrnæ oleariæ, vrcei aquarii, vrnæ vinariæ, alia vaſa ahenea Capuæ. Nolæ fiſcinæ campanicæ. Hæ hamæ vtiles ſunt. Funis ſubductarius, ſpartum omne Capuæ. Fiſcinas romanicas Sueſſæ, Caſino. Eæ optimæ erunt Romæ. funem torculum ſiquis faciet Caſini L. Tũnius. Venafri C. Mennius L. F. eo indere oportet coria bona VIII. noſtratia recentia quæ depſta ſient, quamminimum ſalis habeant, ea depſere & vnguere vnguine prius oportet, tum ſiccare: Funem exordiri oportet longum pedes LXXII. toros III. habeat lora in toros ſingulos IX, lata digitos

cri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, ſiue ego ſiue quis iuſſu meo fecerit, vti id recte factum ſiet. Eius rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, vti ſies volens propitius mihi, domo familiæque meæ, liberiſq; meis. Harumce rerũ ergo macte hoc porco piaculo immolãdo eſto.

*Si fodere voles altero piaculo quid facere debeas.* 140.

Si fodere velis altero piaculo, eodem modo facito, hoc amplius dicito, operis faciũdi cauſa: cum opus, quotidie per partes facito. ſi intermiſeris, aut feriæ publicæ aut familiares intercesſerint, altero piaculo facito.

*Si agrum luſtrare vis, quid facere debeas.* 141.

AGRVM luſtrare ſic oportet. Impera ſuouitaurilia circumagi cum diuis volentibus, quodque bene eueniat mando tibi Mani, vti illace ſuouitaurilia fundum, agrum, terramq; meam quota ex parte ſiue circumagi, ſiue circumferenda cenſeas. vti cures luſtrare. Ianum, Iouemque vino præfamino, ſic dicito: Mars pater te precor, quæſoque vti ſies volens propitius mihi, domo, familiæque noſtræ, quoius rei ergo agrum, terram, fundumque meum ſuouitauralia circumagi iuſſi. vti tu morbos viſos, inuiſosque, viduertatem, vaſtitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibesſis, defendas, auerruncesque. vtique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaq; grandire, beneque euenire ſinas. paſtores, pecuaque ſalua ſeruasſis, duisque bonam ſalutem valetudinemque mihi, domo, familiæque noſtræ. Harumce rerum ergo fundi, terræ agrique mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergo ſicuti dixi macte hiſce ſuouitaurilibus lactentibus immolandis eſto. Mars pater eiusdem rei ergo, macte hiſce ſuouitaurilibus lactentibus eſto. Item cultro facito ſtruem, & fertum vti adſiet. Inde obmoueto. Vbi porcum immolabis, agnum, vitulumque ſic oportet. Eiusque rei ergo macte hiſce ſuouitaurilibus immolandis eſto nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Si minus in omnes litabit, ſic verba cõcipito: Mars pater, ſi quid tibi in illiſce ſuouitaurilibus lactentibus, neque ſatisfactum eſt, te hiſce ſuouitaurilibus piaculo. Si vno, duobusue dubitauerit, ſic verba concipito: Mars pater, quod tibi illuc porco, neque ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo.

*Vilici officia.* 142.

VILICI officia quæ ſunt, quæ dominus præcepit, ea omnia quæ in fundo fieri oportet, quæq; emi parariq; oportet, quomo

quomodoque cibaria, veſtimenta familiæ dari oportet, eadem vti curet, faciatque moneo, dominoque dicto audiẽs ſit. Hoc amplius, quomodo vilicam vti oportet, & quomodo eæ imperari oportet, vti aduentu domini, quæ opus ſunt, parentur, curenturque diligenter.

*Vilicæ officia.* 143.

VILICAE quæ ſunt officia, curato faciat. Si eam tibi dederit dominus vxorem, ea eſto contentus. Ea te metuat. Facito ne nimium luxurioſa ſiet. Vicinas, aliasq; mulieres quamminimum vtatur. Neue domum, neue ad ſeſe recipiat. ad cœnam nequo eat, neue ambulatrix ſiet. rem diuinam ni faciat, neue mandet, qui pro ea faciat iniuſſu domini, aut dominæ. Scito dominum pro tota familia rem diuinam facere. Munda ſiet. Villam conuerſam mundamque habeat. Focum purum circumuerſum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis feſtus dies cum erit, coronam in focum indat. Per eoſdemque dies Lari familiari pro copia ſupplicet. Cibum tibi, & familiæ curet, vti coctũ habeat. Gallinas multas, & oua vti habeat. Pira arida, ſorba, ficos, vuas paſſas, ſorba in ſapa, & pira, & vuas in doliis, & mala ſtruthea. Vuas in vinaceis, & in vrceis, in terra obrutas. Et nuces præneſtinas recentes in vrceo in terra obrutas habeat. Mala ſcantiana in doliis, & alia quæ condi ſolent, & ſiluatica. Hæc omnia quotannis diligenter vti condita habeat. Farinam bonam, & far ſubtile ſciat facere.

*Lex oleæ legendæ.* 144.

OLEAM legendam hoc modo locare oportet. Oleam cogito recte omnem arbitratu domini, aut quem cuſtodem fecerit, aut cui olea venierit. Oleam ne ſtringito, neue verberato iniuſſu domini aut cuſtodis. Si aduerſus ea quis fecerit, quod ipſe eo die delegerit, pro eo nemo ſoluet, neque debebitur. Oleam qui legerint, omnes iuranto ad dominum, aut ad cuſtodem, ſeſe oleam non ſurripuiſſe, neque quenquam ſuo dolo malo ea oleitate ex fundo L. Manlij. Qui eorum non ita iurauerit, quod is legerit omne, pro eo argentum nemo dabit, neque debebitur. oleam cogi recte, ſatis dato arbitratu L. Manlij. Scalæ ita vti datæ erunt, ita reddito, niſi quæ vetuſtate fractæ erunt. Si non erunt, reddet æquas, aut arbitratu deducetur. Siquid redemptoris opera domino damni datum erit, reſoluito. Id viri boni arbitratu deducetur. Legulos quot

opus erunt, præbeto, & ſtrictores. Si non præbuerit, quanti conductum erit, aut locatum erit, deducetur. tanto minus debebitur. De fundo ligna & oleam ne deportato. Qui oleam legerit, qui deportarit, in ſingulas deportationes SS. N. II. deducentur, neque id debebitur. Omnem oleam puram metietur. Modio oleario aſſiduos homines quinquaginta præbeto, duas partes ſtrictorum præbeto. Nequis concedat, quo olea legunda & faciunda carius locetur. Extra quam ſiquem ſocium impræſentiarum dixerit, ſiquis aduerſum ea fecerit, ſi dominus aut cuſtos volent, iurent omnes ſocii. Si non ita iurauerint, pro ea olea legunda, & faciunda nemo dabit, neque debebitur ei, qui non ita iurauerit. Acceſſiones in $\overset{o}{M}$ ∞ CC. accedit oleæ ſalſæ $\overset{o}{M}$ V. olei puri P. IX. in tota oleitate SS. V. aceti quadrantalia V. Quod oleæ ſalſæ non acceperint, dum oleam legent, in modios ſingulos SS. S. S. dabuntur.

*Lex oleæ faciundæ.* 145.

OLEAM faciundam hac lege oportet locare. Facito recte arbitratu domini, aut cuſtodis. Qui id negotium curabit ſi ſex iugis vaſis opus erit, facito. Homines eos dato, qui placebunt aut cuſtodi, aut quis eam oleam emerit. Trapeti facito. Si operarii conducti erunt, aut facienda locata erit, pro eo reſoluito, aut deducetur. Oleum ne tangito vtendi cauſa, neque furandi cauſa, niſi quod cuſtos dederit, aut dominus. Si ſumpſerit, in ſingulas ſumpſiones SS. N. XL. deducentur, neque debebitur. Factores, qui oleum fecerint, omnes iuranto aut ad dominum, aut ad cuſtodem, ſeſe de fundo L. Manlii, neque alium quenquam ſuo dolo malo, oleum, neque oleam ſurripuiſſe. Qui eorum non ita iurauerit, quæ eius pars erit, omne deducetur, neque debebitur. Socium neque habeto, niſi quem dominus iuſſerit, aut cuſtos. Siquid redemptoris opera domino damni datum erit, viri boni arbitratu deducetur. Si viride oleum opus ſiet, facito accedere oleum, & ſal ſuæ vſioni, quod ſatis ſiet, vaſarium vict. II.

*Lex oleæ pendentis.* 146.

OLEAM pendentem hac lege venire oportet. Olea pendens in fundo Venafro venibit. Qui oleam emerit, amplius quam quanti emerit: omnis pecuniæ centeſima accedet. Præconium præſens SS, L. & oleum romanici pondo $D$. turidis P. CC. oleæ caducæ $\overset{o}{M}$ L. ſtrictiuæ $\overset{o}{M}$ X. Modio oleario menſum dato vnguinis pondo X. Ponderibus modiiſque domini

qua, itinere, actu domini vſioni recipitur. Siquid emptor, aut paſtores, aut pecus emptoris domino damni dederit, boni viri arbitratu reſoluat. Siquid dominus, aut familia, aut pecus emptori damni dederit, viri boni arbitratu reſoluetur. donicum pecuniam ſatisfecerit, aut delegarit, pecus & familia, quæ illic erit, pigneri ſunto. Siquid de iis rebus controuerſiæ erit, Romæ iudicium fiat.

*Fructus ouium qua lege veneat.* 150.

FRVCTVM ouium hac lege venire oportet. In ſingulas caſei P. I. S. dimidium aridum, lacte feriis quod mulſerit dimidium & præterea lactis vrnam I. Hiſce legibus agnus diem & noctem qui vixerit, in fructum, & Kal. Iun. emptor fructu decedat. Si interkalatum erit K. Maiis agnos XXX, ne amplius promittat. Oues quæ non pepererint, binæ pro ſingulis in fructu cedent. Die lanam, & agnos vendat. Menſes X, ab coactore releget porcos ſerarios. In oues denas ſingulos paſcat. Conductor II. menſes paſtorem præbeat, donec domino ſatisfecerit, aut ſoluerit, pigneri eſto.

*Cupreſſum quomodo ſerat.* 151.

SEMEN cupreſſi quando legi, ſeri, propagarique oporteat, & quo pacto cupreſſeta ſeri oporteat Manius Percennius Nolanus ad hunc modum mõſtrauit. Semen cupreſſi tarentinæ per ver legi oportet: materiem vbi hordeum flaueſcit. id vbi legeris in ſole ponito, ſemen purgato, id aridum condito: vti aridum expoſitum ſiet, per ver ſerito in loco vbi terra tenerrima erit, quam pullam vocant, vbi aqua propter ſiet. eum locum ſtercorato primum bene ſtercore caprino, aut ouillo. tum vortito bipalio, terram cum ſtercore bene permiſceto, depurgato ab herba graminibuſque. Bene terram comminuito, areas facito pedes latas quaternos: ſubcauas facito, vti aquam continere poſſint. inter eas ſulcos facito, qua herbas de areis purgare poſſis. vbi areæ factæ erunt, ſemen ſerito crebrum, ita vti linum ſeri ſolet. eo cribro terram incernito, dimidiatum digitum terram altam ſuccernito. id bene tabula, aut manibus, aut pedibus complanato. Siquando non pluet, vti terra ſitiat, aquam irrigato leniter in areas. Si non habebis vnde irriges, gerito, inditoque leniter. Quotieſcunque opus erit, facito vti aquam addas. Si herbæ natæ erunt, facito vti ab herbis purges quam tenerrimis herbis, & quoties opus erit purges per æſtatem, ita vti dictum eſt, fieri oportet, & vbi

ſumito braſſicæ quæ leuiſſima erit, P. IIII. Inde facito manipulos æquales tres, colligatoque. poſtea ollam ſtatuito cum aqua. vbi occipiet feruere pauliſper, dimittito vnum manipulum, feruere deſiſtet. Poſtea vbi occipiet feruere, pauliſper dimittito vſque admodum dum quinquies quinque numeres. tum eximito. Item facito alterum manipulum, item tertium, poſtea coniicito & contundito, item eximito, in linteũ exugeto ſuccum, quaſi heminam, in pocillum fictile. Eò indito ſalis micam quaſi eruum, & cumini fricti tãtum quod oleat. Poſtea ponito pocillum in ſereno noctu. qui poturus erit, lauet calida, bibat aquam mulſam, cubet incœnatus. Poſtea manę bibat ſucum, deambuletque horas IIII. agat, negotii ſiquid habebit. Vbi libido veniet nauſeæ, eumque apprehendet, decumbat, purgetque ſeſe. Tantum bilis, pituitæque eiiciet, vti ipſe miretur, vnde tãtum ſiet. Poſtea vbi deorſum verſus ibit, heminam, aut paulo plus bibat. Si amplius ibit, ſumito farinę minutæ conchas duas, infriet in aquam, paulum bibat, conſiſtet. Verum quibus tormina moleſta erunt, braſſicam in aquam macerare oportet. vbi macerata erit, coniicito in aquam calidam, coquito vſque donec ea commadebit bene. aquam defundito. poſtea ſalem addito, & cumini paululum, & pollinem polentæ. eodem addito & oleum, poſtea feruefacito. Infundito in catinum, vti frigeſcat. eo interito quod volet, cibi poſtea edit. ſed ſi poterit ſolam braſſicam eſſe, edit. Et ſi ſine febre erit, dato vini atri duri. Aquę tum bibat quamminimum. Si febris erit, aquam. Id facito quotidie mane. Nolito multũ dare, ne pertædeſcat, vti poſſit porro libenter eſſe. Ad eundem modum viro & mulieri, & puero dato. Nunc de illis quibus ægre lotium it, quibuſque ſubſtillum eſt. Sumito braſſicam, coniicito in aquam feruentem, coquito pauliſper, vti ſubcruda ſiet. poſtea aquam defundito non omnem. eo addito oleũ bene, & ſalem, & cumini paululum. inferuefacito pauliſper, poſtea inde iuſculum frigidum ſorbere, & ipſam braſſicam eſſe oportet, vti quam primum excoquat, quotidie id facito.

*De braſſica pythagorea, quid in ea boni ſit, ſalubritatiſq. 157.*

PRINCIPIUM te cognoſcere oportet, quæ genera braſſicæ ſint, & cuiuſmodi naturam habeant omnia. Ad ſalutem temperat, cõmutatq; ſeſe ſemper cum calore, arido, ſimul humido, & dulci, & amaro, & acri. Sed quę vocatur* ſeptẽ bona in commixturam,* natura omnia hæc habet braſſica. Nunc vti cognoſcas naturam earum, prima eſt, leuis quæ nominatur. ea eſt gran-

ſerpitium inraſum cum braſſica ex aceto oxymelli,& ſale ſparſa. Hac ſi vteris,omnes articulos poteris experiri. Nullus ſumptus eſt: & ſi ſumptus eſſet, tamen valetudinis cauſa experirer. hanc oportet mane ieiunum eſſe. Omnis qui inſomnioſus eſt, hac eadem curatione ſanum facies. Verum aſſam braſſicam, & vnctam caldam ſalis paulum dato homini ieiuno. Quamplurimum ederit, tam citiſſime ſanus fiet ex eo morbo. Tormina quibus moleſta erunt, ſic facito: Braſſicam macerato bene, poſtea in aulam coniicito, deferuefacito bene. Vbi cocta erit bene, aquam defundito. eo addito oleũ bene, & ſalis paululum, & cuminum, & pollinem polentæ. Poſtea ferue bene facito. vbi feruerit, in catinum indito. Dato edat, ſi poterit, ſine pane. ſi non, panis parum ibidem madefaciat. Et ſi febrim non habebit, dato vinum atrum bibat. cito ſanus fiet. Et hoc, ſi quando vſus venerit, qui debilis erit, hæc res ſanum facere poteſt. braſſicam edit ita, vti S.S.F. & hoc amplius. lotiũ conſeruato eius, qui braſſicam eſitarit. id calfacito. eo hominem demittito, cito ſanum faciet hac cura. expertum hoc eſt. Item pueros puſillos, ſi laues eo lotio, nunquam debiles fient. & quibus oculi parum clari ſunt, eo lotio inungito, plus videbunt. Si caput aut ceruices dolent, eo lotio caldo lauito, deſinent dolore. Et ſi mulier eo lotio locos fouebit, nunquam ii viroſi fient. Et fouere ſic oportet. Vbi in ſcutra ferueſeceris, ſub ſellam ſupponito pertuſam. eo mulier aſſidat, operito circum veſtimenta eam dato. Braſſica erratica maximam vim habet. eam arfacere, & conterere oportet bene minutam, ſi quidem purgare voles, pridie ne cœnet, mane ieiuno dato braſſicam tritam aquæ cyathos IIII. Nulla res tam bene purgabit, neque elleborum, neque ſcamoneum, & ſine periculo, & ſcito ſalubrem eſſe corpori. Quos diffidas ſanos facere, facies. Qui hac purgatione purgandus erit, ſic eum curato: Sorbitione liquida hoc per dies VII. dato. vbi eſſe volet, carnem aſſam dato. Si eſſe non volet, dato braſſicam coctam, & panem, & bibat vinum lene dilutum, lauet raro, vtatur vnctione. Qui ſic purgatus erit, diutina valetudine vtetur, neque vllus morbus veniet niſi ſua culpa. Eæ ſi quis vlcus tetrum, vel recens habebit, hanc braſſicam erraticam aqua ſpargito, opponito, ſanum facies. Et ſi fiſtula erit, turunda intro trudito: ſi turundam nõ recipiet, diluito, indito in veſicam, eo calamum alligato, ita premito, in fiſtulam introeat. Ea res ſanum faciet cito. Et ad omnia vlcera vetera & noua contritam cum melle opponito,

ſanum

*Aſparagus quomodo ſeratur.* 161.

LOCVM ſubigere oportet bene, qui habeat humorem, aut loco craſſo: vbi erit ſubactus, areas facito, vt poſſis dextra ſiniſtraque ſarire, runcare, ne calcetur. Cum areas deformabis, interuallum facito inter eas ſemipedem latũ in omnes partes. Deinde ſerito. Ad lineã palo grana bina aut terna demittito. Et eodem palo cauum terra operito. Deinde ſupra areas ſtercus ſpargito, bene ſerito. Secundum æquinoctium vernum, vbi erit natum, herbas crebro purgato, cauetoque ne aſparagus vna cum herba vellatur. Quo anno ſeueris, ſubſtramentis per hiemem operito, ne peruratur. Deinde primo vere aperito, ſarito, runcatoque. Poſt annum tertium, quam ſeueris, incẽdito vere primo. Deinde ne ante ſarueris, quam aſparagus natus erit, ne in ſariendo radices lædas. Tertio, aut quarto anno aſparagum vellito ab radice. Nam ſi defringes, ſtirpes fient, & intermorientur. Vſque licebit vellas, donicum in ſemen videris ire. Semen maturum fit ad autumnum. Ita cum ſumpſeris ſemen, incendito, & cum cœperit aſparagus naſci, ſarito, & ſtercorato. Poſt annos VIII, aut IX, cum iam eſt vetus, digerito, & in quo loco poſiturus eris, terram bene ſubigito, & ſtercorato. Deinde foſſulas facito, qua radices aſparagi demittas. Interuallum ſit ne minus pedes ſingulos inter radices aſparagi. vellito, ſic circumfodito, vt facile euellere poſſis. Caueto ne frangatur. Stercus ouillũ quamplurimũ fac ingeras: id eſt optimum ad eam rem. aliud ſtercus herbas creat.

*Salſura pernarum, ofellæ Puteolanæ.* 162.

PERNAS ſallire ſic oportet, in dolio, aut in ſeria. Cum pernas emeris, vngulas earum psæcidito. Salis romanienſis moliti in ſingulas ſemodius. In fundo dolij, aut ſeriæ ſalem ſternito. Deinde pernam ponito. Cutis deorſum ſpectet. Sale obruito totam. Deinde alteram inſuper ponito. Eodem modo obruito. Caueto, ne caro carnem tangat. Ita omnes obruito; vbi iam omnes compoſueris, ſale inſuper obrue, ne caro appareat, æqualem facito. Vbi iam dies V, in ſale fuerint, eximito omnes cum ſuo ſale. Quæ tum ſummæ fuerint, imas facito. Eodemque modo obruito, & componito. Poſt diem omnino duodecimum pernas eximito, & ſalem omnem detergeto, & ſuſpendito in vento biduum. Die tertio extergeto ſpongia bene, perunguito oleo. Suſpendito in fumo biduum. Tertio die demito. Perunguito oleo & aceto commixto: ſuſpendito in carnario. nec tinea, nec vermes tangent.

M. TE.

feriæ robigalia; Floræ, ludi floralia inſtituti. Item adueneror Mineruam & Venerem, quarum vnius procuratio oliueti, alterius hortorum, quo nomine ruſtica vinalia inſtituta. Nec non etiam precor Lympham, ac Bonum euentum, qnoniam ſine aqua omnis arida ac miſera agricultura, ſine ſucceſſu ac bono euentu, fruſtratio eſt, non cultura. Iis igitur deis ad venerationem aduocatis, ego referam ſermones eos, quos de agricultura habuimus nuper, ex quibus quid te facere oporteat animaduertere poteris. in queis quæ non inerunt & quæres, indicabo a quibus ſcriptoribus reperias, & Græcis, & noſtris. Qui Græce ſcripſerũt diſperſim alius de alia re, ſunt plus quinquaginta. Hi ſunt, quos tu habere in conſilio poteris, cum quid conſulere voles, Hieron Siculus, & Attalus Philometor: de philoſophis, Democritus phyſicus, Xenophon Socraticus, Ariſtoteles & Theophraſtus peripatetici, Archytas pythagoreus, item Amphilochus athenienſis, Anaxipolis thaſius, Apollodorus lemnius, Ariſtophanes maleotes, Antigonus cymæus, Agathocles chius, Apollonius pergameneus, Ariſtandrus athenienſis, Bacchius mileſius, Bion ſoleus, Chæreſteus & Chęreas athenienſes, Diodorus priennæus, Dion colophonius, Diophanes nicenſis, Epigenes rhodius, Euagon thaſius, Euphranii duo, vnus athenienſis, alter amphipolites, AEgeſias maronites, Menandri duo, vnus priennæus, alter heracleotes, Niceſius maronites, Pythion rhodius. De reliquis, quorum quæ fuerit patria non accepi, ſunt Androtion, AEſchrion, Ariſtomenes, Athenagoras, Crates, Dadis, Dionyſius, Euphiton, Euphorion, Eubolus, Lyſimachus, Mnaſeas, Meneſtratus, Pleuthiphanes, Perſis, Theophilus. Ii, quos dixi, omnes ſoluta oratione ſcripſerunt. eaſdem res etiam quidam verſibus, vt Heſiodus aſcræus, Menecrates epheſius. Hos nobilitate Mago Carthaginienſis præterit pœnica lingua, quod res diſperſas comprehendit libris xxiix. quos Caſsius Dionyſius vticenſis, vertit libris xx. ac Græca lingua Sextilio prætori miſit: in quæ volumina de Græcis libris eorum, quos dixi, adiecit non pauca, & de Magonis dempſit inſtar librorum viii. Hoſce ipſos vtiliter ad vi. libros redegit Diophanes in Bithynia, & miſit Deiotaro regi. Quo breuius de ea re conor tribus libris exponere, vno de agricultura, altero de re pecuaria, tertio de villaticis paſtionibus. Hoc libro circumciſis rebus, quæ non arbitror pertinere ad agriculturam. Itaque prius oſtendam, quæ ſecerni oporteat ab ea. Tum de his

rebus

illic in ſemeſtri die, aut nocte, quemadmodum quicquam ſeri, aut aleſcere, aut meti poſſit? Contra quid in Italia vtenſile non modo non naſcitur, ſed etiam non egregium fit? quod far conferam campano? quod triticum appulo? quod vinum falerno? quod oleum venafro? Non arboribus conſita Italia eſt, vt tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quam hæc? aut Argos, quod idem poeta πολύπυρον. in qua terra iugerum vnum denos, & quinos denos culleos fert vini, quot quædam in Italia regiones? An non M. Cato ſcribit in libro Originum ſic? ager gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus eſt vltra agrum Picentium. In eo agro aliquotfariam in ſingula iugera dena cullea vini fiunt. Nonne item in agro fauentino, a quo ibi tricenariæ appellantur vites, quod iugerum tricenas amphoras reddat? Simul aſpicit me, Certe, inquit, L. Martius præfectus fabrum tuus in fundo ſuo Fauentiæ hanc multitudinem dicebat ſuas reddere vites. Duo in primis ſpectaſſe videntur Italici homines colendo, poſſentne fructus pro impenſa ac labore redire, & vtrum ſaluber locus eſſet an non: quorum ſi alterutrum decollat, & nihilominus quis vult colere, mente eſt captus, atque ad agnatos & gentiles eſt deducendus. Nemo enim ſanus debet velle impenſam ac ſumptum facere in culturam, ſi videt non poſſe refici. Nec ſi poteſt reficere fructus, ſi videt eos fore, vt peſtilentia diſpereant. Sed opinor qui hæc commodius oſtendere poſſint, adſunt, Nam C. Licinium Stolonem, & Cn. Tremelium Scrofam video venire, vnum cuius maiores de modo agri legem tulerunt. Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus D. iugera habere ciuem R. & qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmauit cognomen, quod nullus in eius fundo reperiri poterat ſtolo, quod effodiebat circum arbores, e radicibus, quæ naſcerentur e ſolo, quos ſtolones appellabant. eiuſdem gentis C. Licinius tribunus pleb. cum eſſet poſt reges exactos annis CCCLXV. primus populum ad leges accipiundas in ſeptem iugera forenſia, e comitio eduxit. Alterum collegam tuum, XX vir qui fuit, ad agros diuidundos campanos, video huc venire Cn. Tremelium Scrofam, virum omnibus virtutibus politum, qui de agricultura romanus peritiſſimus exiſtimatur. An non iure inquam? Fūdi enim eius propter culturam iucundiore ſpectaculo ſunt multis, quam regie polita ædificia aliorum, cū huius ſpectatū veniant

domino pecus, ſed etiam ſeruis peculium, quibus domini dāt, vt paſcant, atque etiam leges colonicas tollis, in quibus ſcribimus, Colonus in agro ſurculario ne capra natū paſcat, quas etiam aſtrologia in cælum recepit, non longe ab Tauro. Cui Fundanius, Vide, inquit, ne agri iſtuc ſit ab hoc, cum in legibus etiam ſcribatur, pecus quoddam. Quædam enim pecudes culturæ ſunt inimicæ, ac veneno, vt iſtæ, quas dixiſti, capræ. eæ enim omnia nouella ſata carpendo corrumpunt, non minimum vites, atque oleas. Itaque propterea inſtitutum diuerſa de cauſa, vt ex caprino genere ad alii dei aram hoſtia adduceretur, ad alii non ſacrificaretur, cum ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum, vt Libero patri repertori vitis hirci immolarentur, proinde vt capite darent pœnas. Contra, vt Mineruæ caprini generis nihil immolarent, propter oleam, quod eam, quam læſerit, fieri dicunt ſterilem. Eius enim ſaliuam eſſe fructuis venenum. Licinius, Hoc nomine etiam Athenis in arcem non inigi, præterquam ſemel ad neceſſarium ſacrificium, ne arbor olea, quæ primum dicitur ibi nata, a capra tangi poſſit. Nec vllæ, inquam, pecudes agriculturæ ſunt propriç, niſi quæ agrū operæ, quo cultior ſit, adiuuare, vt eæ, quæ iunctç arare poſſunt. Agraſius, Si iſtuc ita eſt, inquit, quomodo pecus remoueri poteſt ab agro, cum ſtercus, quod plurimum prodeſt, greges pecorum miniſtrent? Sic, inquit Agrius, venalium greges dicemus agriculturam eſſe, ſi propter iſtam rem habendum ſtatuerimus. Sed error hinc, quod pecus in agro eſſe poteſt, & fructus non in agro ferre. quod non ſequendum. Nam ſic etiam res aliæ diuerſç ab agro erunt aſſumendç: vt ſi habeas plures in fundo textores, atque inſtitutos hiſtonas, ſic alios artifices. Scrofa, Diiungamus igitur, inquit, paſtionem a cultura, & ſiquis quid vult aliud. Anne ego, inquam, ſequar Saſernarum patris & filii libros? ac magis putem pertinere figlinas quemadmodum exerceri oporteat, quā argenti fodinas, aut alia & alia metalla, quæ ſine dubio in aliquo agro fiunt? Sed vt neque lapicidinæ, neque arenariæ ad agriculturam pertinent, ſic figlinæ. neque ideo non in quo agro idoneæ poſſunt eſſe, non exercendæ, atque ex eis capiundi fructus, vt etiam ſi ager, ſecundum viam, & opportunus viatoribus locus, ædificandç tabernç diuerſoriæ, quæ tamen quanuis ſint fructuoſæ, nihilo magis ſunt agriculturç partes. Non enim ſiquis propter agrum, aut etiam in agro profectus

aliud, & a quibus carceribus decurrat ad metas. Stolo cum aſpexiſſet Scrofam, Tu, inquit, & ætate, & honore, & ſcientia quod præſtas, dicere debes. Ille non grauatus, Primũ, inquit, non modo eſt ars, ſed etiam neceſſaria ac magna. eaque eſt ſcientia, quæ docet, quæ ſint in quoquo agro ſerunda ac faciunda, quæque terra maximos perpetuo reddat fructus.

*Agriculturæ quod ſit initium, & quis finis.* 4.

EIVS principia ſunt eadem, quæ mundi eſſe Ennius ſcribit, aqua, terra, anima, & ſol. Hæc enim cognoſcenda prius, quam iacias ſemina, quod initium fructuũ oritur. Hinc profecti agricolæ ad duas metas dirigere debent, ad vtilitatem & voluptatem. Vtilitas quærit fructum, voluptas delectationẽ. Priores partes agit, quod vtile eſt, quam quod delectat, necnõ ea quę faciunt cultura honeſtiorem agrũ: pleraque nõ ſolum fructuoſiorem eundem faciunt, vt cum in ordinem ſunt conſita arbuſta atque olіueta, ſed etiam vendibiliorem, atque adiiciunt ad fundi pretium. nemo enim eadem vtilitate nõ formoſius quod eſt, emere mauult pluris, quam ſi eſt fructuoſus turpis. Vtiliſſimus autem is ager qui ſalubrior eſt, quam alii, quod ibi fructus certus. contra quod in peſtilenti, calamitas, quamuis in feraci agro, colonum ad fructus peruenire non patitur. Etenim vbi ratio cum orco habetur, ibi non modo fructus eſt incertus, ſed etiam colentium vita. Quare vbi ſalubritas non eſt, cultura non aliud eſt, atque alea domini vitæ, ac rei familiaris. Nec hæc non diminuitur ſcientia. ita enim ſalubritas, quæ ducitur e cælo ac terra, non eſt in noſtra poteſtate, ſed in naturę: vt tamen multum ſit in nobis, quod grauiora quæ ſunt, ea diligentia leuiora facere poſſumus. Etenim ſi propter terram aut aquam, odoremue, quem aliquo loco eructat, peſtilentior eſt fundus, aut propter cæli regionem ager calidior ſit, aut ventus non bonus flet: hæc vitia emendari ſolent domini ſcientia ac ſumptu; quod permagni intereſt, vbi ſint poſitæ villæ, quantæ ſint, quo ſpectent, porticib. oſtiis ac feneſtris. An nõ ille Hippocrates medicus in magna peſtilentia, non vnum agrum, ſed multa oppida, ſcientia ſeruauit? Sed quid ego illum voco ad teſtimonium? Non hic Varro noſter, cum Corcyræ eſſet exercitus ac claſſis, & omnes domus repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, immiſſo feneſtris nouis aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ianuaque permutata, cæteraque eius generis diligentia, ſuos comites, ac familiam, incolumes reduxit?



Digitized by Google

ſalubriora. Qui colunt deorſum, magis æſtate laborant: qui ſurſum, magis hieme: verno tempore in campeſtribus maturius eadem illa ſeruntur, quam in ſuperioribus: & celerius hic, quam illic coguntur. necnon ſurſum, quam deorſum tardius ſeruntur, ac metuntur. Quædam in montanis prolixiora naſcuntur ac firmiora, propter frigus, vt abietes ac ſappini. Hic, quod tepidiora, populi ac ſalices: ſurſum fertiliora, vt arbutus ac quercus: deorſum, vt nuces Græcæ ac marſicæ fici. In collibus humilibus ſocietas maior cum campeſtri fructu, quam cum montano: in altis contra. Propter hæc tria faſtigia formæ, diſcrimina quædam fiunt ſationum, quod ſegetes meliores exiſtimãtur eſſe campeſtres, vineæ collinæ, ſyluæ montanæ: plerunque hiberna iis eſſe meliora, qui colunt campeſtria, quod tunc prata ibi herboſa, putatio arborum tolerabilior. Contra æſtiua montanis locis commodiora, quod ibi tum & pabulum multum, quod in campis aret: ac cultura arborum aptior, quod tum illic frigidior aer. Campeſter locus is melior, qui totus æquabiliter in vnam partem vergit, quam is qui eſt ad libellam æquus, quod is, cum aquę non habent delapſum, fieri ſolet vliginoſus. eo magis ſiquis eſt inæquabilis, eo deterior, quod fit propter lacunas aquoſus. Hæc atque huiuſcemodi tria faſtigia agri ad colẽdum diſpariliter habent momentum.

### *Qui ſit ager optimus, & quis ab eo proximus, & qui deinceps* 7.

STOLO, Quod ad hanc formam naturalem pertinet, de eo non incommode Cato videtur dicere, cum ſcribit optimum agrum eſſe, qui ſub radice mõtis ſitus ſit, & ſpectet ad meridianam cæli partem. Subiicit Scrofa, De formæ cultura hoc dico, quæ ſpecie fiant venuſtiora, ſequi, vt maiore quoque fructu ſint: vt qui habent arbuſta, ſi ſata ſunt in quincuncem, propter ordines, atq; interualla modica. Itaque maiores noſtri ex aruo æque magno, ſed male conſito, & minus multum, & minus bonum faciebant vinum & frumentum, quod quæ ſuo quicque loco ſunt poſita, ea minus loci occupant, & minus officit aliud alii ab ſole, ac luna, & vento. Hoc licet coniectura videre ex aliquot rebus, vt nuces integras, quas vno modio comprehendere poſſis, quod putamina ſuo loco quæque habet natura compoſita, cum eaſdem ſi fregeris, vix ſeſquimodio concipere poſſis. Præterea quæ arbores in ordinem ſatæ ſunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus ſol ac luna coquunt. quo fit.

vt vua-

ſpecies eius. alię enim humiles ac ſine ridicis, vt in Hiſpania: aliæ ſublimes, vt quæ appellantur iugatæ, vt pleræque in Italia. quarum nomina duo pedamẽta, & iuga. quibus ſtat rectis vinea, dicuntur pedamenta. quæ tranſuerſa iunguntur, iuga: ab eo quoque vineæ iugatæ. Iugorum genera fere quatuor, pertica, arundo, reſtes, vites. pertica, vt in Falerno. arundo, vt in Arpino. reſtes, vt in Brundiſino. vites, vt in Mediolanenſi. Iugationis ſpecies duæ, vna directa, vt in agro Canuſino: altera compluuiata in longitudinem & latitudinem iugata, vt in Italia pleræque. Hæc vbi domo naſcuntur, vinea non metuit ſumptum; vbi multa ex propinqua villa, non valde. Primum genus quod dixi, maxime quęrit ſalicta. ſecundum, arundineta. tertium iunceta, aut eius generis rem aliquam. quartum arbuſta, vbi traduces poſſint fieri vitium, vt Mediolanenſes faciunt in arboribus, quas vocant opulos: Canuſini in harundulatione in ficis. Pedamentum item ferè quatuor generum. vnum robuſtum, quod optimum ſolet afferri in vineã e quercu ac iunipero, & vocatur ridica. alterum palus e pertica, melior e dura, quod diuturnior: quem cum infimum terra voluit, puter euertitur, & fit ſolum ſummum. tertium quod horum inopiæ ſubſidio miſit arundinetum. inde enim aliquot colligatas libris dimittunt in tubulos fictiles, cum fundo pertuſo, quos cuſpides appellant, qua humor aduenticius tranſire poſſit. quartum eſt pedamentum natiuum eius generis, vbi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit: quos traduces quidam rumpos appellant. Vineæ altitudinis modus, longitudo hominis. Interualla pedamentorum, qua boues iuncti arare poſſint. Ea minus ſumptuoſa vinea, quæ ſine iugo miniſtrat acratophoro vinum. Huius genera duo, vnum, in quo terra cubilia præbet vuis, vt in Aſia multis locis, quæ ſæpe vulpibus & hominibus fit communis. nec non ſi parit humus mures, minor fit vindemia: niſi totas vineas oppleris muſcipulis, quod in inſula Pandataria faciunt. Alterum genus vineti, vbi ea modo remouetur a terra vitis, quæ oſtendit ſe afferre vuam. Sub eam, vbi naſcitur vua, ſubiiciuntur circiter bipedales e ſurculis furcillæ, ne vindemia pereat, & vindemia facta denique diſcat pendere in palmam, aut funiculo, aut vinctu, quod antiqui vocabant ceſtum. Ibi dominus ſimul ac vidit occipitium vindemiatoris, furcillas reducit hibernatum in tecta, vt ſine ſumptu earum opera altero anno vti poſſit. Hac conſuetudine in Italia vtuntur Reatini. Hæc

ideo

ſegetes fructuoſas, ac reſtibiles, & arbores prolixas, & omnia ſine muſco. In mediocri autem terra, vt in Tiburti, quod propius accedit, vt non ſit macra, quam vt ſit ieiuna, eo ad omnes res commodior, quam ſi inclinauit ad illud quod deterius. Stolo, Non male, inquit, quæ ſit idonea terra ad colendum, aut non, Diophanes bithynius ſcribit ſigna ſumi poſſe aut ex ipſa, aut ex iis quæ naſcuntur ex ea. ex ipſa, ſi ſit terra alba, ſi nigra, ſi leuis, quæ cum ſodiatur, facile frietur, naturaque non ſit cineritia, neue vehementer denſa. Ex iis autem, quæ enata ſunt fera, ſi ſunt prolixa, atque ea quæ ex iis naſci debent, earum rerum feracia. Sed quod ſequitur, tertium illud de modis dice.

*Hæredium, & Centuria, & Saltus, quare ſint his vocabulis appellata.* 10.

Ille, Modos, quibus metirentur rura, alius alios conſtituit. Nam in Hiſpania vlteriore metiuntur iugis, in Campania verſibus, apud nos in agro Romano ac Latino iugeris. Iugum vocant, quod iuncti boues vno die exarare poſſint. Verſum dicunt centum pedes quoquouerſum quadratum. Iugerum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui & latus eſt pedes CXX. & longus totidem. is modus Acnua Latine appellatur. Iugeri pars minima dicitur Scrupulum, id eſt, decem pedes in longitudinem & latitudinem quadratum. Ab hoc principio menſores nõnunquam dicunt in ſubſiciuum eſſe vnciam agri, aut ſextantem, aut quid aliud, cum ad iugerum peruenerunt: id habet ſcrupula CCLXXVIII. quantum as. Antiquus noſter ante bellum Punicum pendebat bina iugera, quod a Romulo primum diuiſa dicebantur viritim, quæ quod hæredem ſequerentur, Hæredium appellarunt. Hæc poſtea a centum, Centuria dicta. Centuria eſt quadrata in omnes quatuor partes, vt habeat latera longa pedum ∞ ∞ D. Hæ porro quatuor centuriæ coniunctæ, vt ſint in vtranque partem binæ, appellantur in agris diuiſis viritim publice Saltus.

*De villa, & aqua villa.* 11.

In modo fundi non animaduerſo lapſi ſunt multi, quod alii villam minus magnam fecerunt quam modus poſtulauit, alii maiorem, cum vtrunque ſit contra rem familiarem ac fructum. maiora enim tecta & ædificamus pluris, & tuemur ſumptu maiore. minora cum ſunt quam poſtulat fundus, fructus ſolent diſperire. Licinius, Dubium enim non eſt, quin

cella

aut exeat noctu, quidue ferat: præſertim ſi oſtiarius eſt nemo. In primis culina videnda, vt ſit admota, quod ibi hieme antelucanis temporibus aliquot res conficiuntur, cibus paratur, ac capitur. Faciundum etiam plauſtris, ac cætero inſtrumento omni, quibus cælum pluuium inimicum, in cohorte vt ſatis magna ſint tecta. hæc enim ſi intra clauſum in conſepto, & ſub dio, furem modo non metuunt, aduerſus tempeſtatem nocentem nõ reſiſtunt. Cohortes in fundo magno duæ aptiores. vna, vt interius compluuium habeat lacum, vbi aqua ſaliat, qui intra ſtylobatas cum venit, ſit ſemipiſcina. Boues enim ex aruo æſtate reducti hic bibunt, hic perfunduntur. nec minus e pabulo dum redierunt anſeres, ſues, porci. In chorte exteriore lacum eſſe oportet, vbi maceretur lupinum: item alia, quæ demiſſa in aquam ad vſum aptiora fiunt. Cohors exterior crebro operta ſtramentis ac palea, occulcata pedibus pecudum, fit miniſtra fundo, ex ea quod euehatur. Secũdum villam duo habere oportet ſterquilinia, aut vnum bifariam diuiſum. alteram enim partem ferri oportet e villa nouam, alteram veterem tolli in agrum. quod enim infertur recens, minus bonum: id cum flacuit, melius. necnon ſterquilinium melius illud, cuius latera, & ſummũ virgis ac fronde vindicatũ ab ſole. Non enim ſucũ quem quærit terra, ſolem ante exugere oportet. Itaque periti (qui poſſint) vt eo aqua influat, eo nomine faciunt. Sic enim maxime retinetur ſucus. in eoque quidam ſellas familiaricas ponunt. Ædificium facere oportet, ſub quod tectum totam fundi ſubiicere poſſis meſſem, quod vocant quidam nubilarium. Id ſecundum aream faciundum, vbi triturus ſis frumentum, magnitudine pro modo fundi ex vna parti apertum, & id ab area, quo & in trituram proruere facile poſſis, & ſi nubilare cœperit, inde vt rurſus celeriter reiicere. Feneſtras habere oportet ex ea parti, vnde commodiſſime perflari poſſit. Fundanius, Fructuoſior, inquit, eſt certe fundus propter ædificia, ſi potius ad antiquorum diligentiam, quam ad horum luxuriam dirigas ædificationem. Illi enim faciebãt ad fructuum rationem, hi faciunt ad libidines indomitas. Itaque illorum villæ ruſticæ erant maioris quam vrbanæ, quę nunc ſunt pleræque contra. illic laudabatur villa, ſi habebat culinam ruſticam bonam, præſepias laxas, cellam vinariam & oleariam ad modum agri aptam, & pauimento procliui in lacum, quod ſæpe, vbi conditum nouum vinum, orcæ in Hiſpania feruore muſti

ruptæ,

litibus iudicem quærant. Serunt alii circum pinos, vt habet vxor in Sabinis. alii cupreſſos, vt ego habui in Veſuuio. alii vlmos, vt multi habent in Cruſtumino: quod vbi id pote, vt ibi: quod eſt campus, nulla potior ſerenda, quod maxime fructuoſa, quod & ſuſtinet ſepem, ac colit aliquot corbulas vuarum, & frondem iucũdiſſimam miniſtrat ouibus ac bubus, ac virgas præbet ſepibus, & foco, ac furno. Scrofa. Igitur primum hæc quæ dixi, quatuor videnda agricolæ, De fundi forma, terræ natura, de modo agri, de finibus tuendis.

*De eis quæ extra fundum commoda ſunt, aut incommoda.* 16.

RELINQVITVR altera pars, quæ eſt extra fundum. Cuius appendices vehementer pertinent ad culturam, propter affinitatem. Eius ſpecies totidem: Si vicina regio eſt infeſta. ſi quo neque fructus noſtros exportare expediat, neque inde quæ opus ſunt, apportare. tertium, ſi viæ, aut fluuii qua portentur, aut nõ ſunt, aut idonei non ſunt. quartum, ſi quid ita eſt in confinibus fundis, vt noſtris agris proſit aut noceat. e queis quatuor, quod eſt primum: refert infeſta regio ſit, necne. Multos enim agros egregios colere non expedit, propter latrocinia vicinorum, vt in Sardinia quoſdam qui ſunt prope Celiem, & in Hiſpania prope Luſitaniam, quæ vicinitatis inuectos habent idoneos, quæ ibi naſcuntur vbi vendant, & illinc inuectos opportunos ad ea quæ in fundo opus ſunt, quod propterea ſunt fructuoſa. Multi enim habent in prædiis, quibus frumentum, aut vinum, aliudue quid deſit importandum. contra, non pauci, quibus aliquid ſit exportandum. Itaque ſub vrbe colere hortos late expedit, ſic violaria, ac roſaria. Item multa, quæ vrbs recipit, cum eadem in longinquo prædio, vbi non ſit quo deferri poſſit venale, non expediat colere. tertium eſt item, ſi ea oppida aut viciniæ, aut etiam diuitum copioſi agri ac villæ, vnde non care emere poſſis, quæ opus ſunt in fundum, quibuſque quæ ſuperſint venire poſſint: vt quibuſdam pedamenta, aut perticæ, aut arundo, fructuoſior fit fundus, quam ſi longe ſint importanda, nonnunquam etiam quam ſi colendo in tuo ea parare poſſis. Itaque in hoc genus coloni potius anniuerſarios habent vicinos, quibus imperant medicos, fullones, fabros, quam in villa ſuos habeãt: quorum nonnunquã vnius artificis mors tollit fundi fructum. quam partem latifundii diuites domeſticæ copiæ mandare ſolent.

Si enim

àd agriculturam dociles. Eam coniecturam fieri poſſe ex aliarum rerum imperatis, & more incolarum e nouitiis requiſito ad priorem dominum quid factitarent. Mancipia eſſe oportere neque formidoloſa, neque animoſa. Qui præſint eſſe oportere, qui literis, aliqua ſint humanitate imbuti, frugi, ætate maiore, quam operarios, quos dixi. Facilius enim his, quam minoribus natu ſunt dicto audientes. Præterea potiſſimum eos præeſſe oportet, qui periti ſint rerum ruſticarum. non ſolum enim debere imperare, ſed etiam facere, vt facientem imitentur, & vt animaduertant eum cum cauſa ſibi præeſſe, quod ſcientia præſtet & vſu. Neque illi concedendum, ita imperare, vt verberibus coherceat potius quam verbis, ſi modo idem efficere poſſis. neque eiuſdem nationis plures parandos eſſe. ex eo enim potiſſimum ſolere offenſiones domeſticas fieri. Præfectos alacriores faciundum præmiis: dandaque opera, vt habeant peculium, & coniunctas conſeruas, e quibus habeant filios. eo enim fiunt firmiores, ac coniunctiores fundo. Itaque propter has cognationes epiroticæ familiæ ſunt illuſtriores ac cariores. Ad iniiciendam voluptatem his præfecturæ, honore aliquo habendi ſunt: & de operariis, qui præſtabunt aliqui, communicandum quoque cum iis, quæ faciunda ſunt opera. quod ita cum fit, minus ſe putant deſpici, atque aliquo numero haberi a domino. Studioſiores ad opus fieri liberalius tractando, aut cibariis, aut veſtitu largiore, aut remiſſione operis, cōceſſioneue, vt peculiare aliquid in fundo paſcere liceat, aut huiuſcemodi rerū aliis, vt quibus quid grauius ſit imperatum, aut animaduerſum, qui cōſolando eorum reſtituat voluntatem, ac beneuolentiam in dominum.

*De numero ruſticorum, quot operis quiſque agri modus coli poſſit.* 18.

De familia: Cato dirigit ad duas metas, ad certum modum agri, & genus ſationis, ſcribens de oliuetis, & vinetis, vt duas formulas. vnam, in qua præcipit quomodo oliuetum agri iugerū CCXL. inſtruere oporteat. Dicit enim in eo modo hæc, mancipia XIII habenda, vilicum, vilicam, operarios V, bubulcos III, aſinarium I, ſubulcum I, opilionem I. Alteram formulam ſcribit de vinearum iugeribus centum, vt dicat haberi oportere hæc, XV mancipia, vilicum, vilicā, operarios X, bubulcum, aſinarium, ſubulcum. Saſerna ſcribit ſatis eſſe ad iugera VIII. hominem vnum: ea debere eum

confodere

*Quot iugis boum quiſque agri modus coli poſſit.* 19.

De reliqua parte inſtrumenti, quod ſemiuocale appellatur, Saſerna ad iugera CC. arui, boū iuga duo ſatis eſſe ſcribit. Cato in oliuetis CC.XL. iugerum, boues trinos. ita fit, vt Saſerna dicat verum ad centum iugera, iugum opus eſſe, ſi Cato ad octogena. Sed ego neutrum horum ad omnem agrū conuenire puto, & vtrunq; ad aliquem. alia enim terra facilior aut difficilior eſt alia. Terram boues proſcindere niſi magnis viribus non poſſunt, & ſæpe fracta bura relinquunt vomeres in aruo. Quo ſequēdum nobis in ſingulis fundis, dum ſumus nouicii, triplici regula, ſuperioris domini inſtituto, & vicinorum, & experientia quadam. Quod addit aſinos, qui ſtercus vectent, treis, aſinum molarium, in vinea iugerum C iugum boum, aſinorum iugum, aſinum molarium: in hoc genere ſemiuocalium, adiiciendum de pecore, ea ſola, quæ agri colēdi cauſa erunt, vt ſolent eſſe pecuaria, pauca habenda, quo facilius mancipia, quæ ſolent ſe tueri, & aſſidua eſſe poſſint. In eo numero non modo qui prata habent, vt potius oues quam ſues habeant, curant, ſed etiam qui prata non habent, quia non ſolum pratorum cauſa habere debent, ſed etiam propter ſtercus.

*De bubus.* 20.

Igitvr de omnibus quadrupedibus prima eſt probatio, qui idonei ſint boues, qui arandi cauſa emuntur, quos rudis, neque minoris trimos, neque maioris quadrimos parandū. vt viribus magnis ſint, ac pares, ne in opere firmior imbecilliorem conficiat: amplis cornibus, & nigris potius quam aliter: vt ſint lata fronte, naribus ſimis, lato pectore, craſſis coxendicibus. Hos veteranos ex campeſtribus locis emendum, non in dura ac montana: nec non, ita ſi incidit, vt ſit vitandum. Nouellos cum quis emerit iuuencos, ſi eorum colla in furcas deſtitutas incluſerit, ac dederit cibum, diebus paucis erunt manſueti, & ad domandum proni. Tum ita ſubigendum, vt minutatim aſſuefaciant, & vt tironem cum veterano adiungant. imitando enim facilius domatur. & primū in æquo loco, & ſine aratro, tum eo leui, & principio per arenam, aut molliorem terram. Quos ad vecturas, item inſtituendum, vt inania primum ducant plauſtra, & ſi poſſis, per vicum aut oppidum creber crepitus, ac varietas rerum conſuetudine celerrima ad vtilitatem adducit. Neq; pertinaciter,

quem

vinarii fecit, in qua ſcribit, ſi ſit centum iugerum, habere oportere vaſa torcularia inſtructa trina, dolia cũ operculis culleorum octingentorum, acinaria xx, frumentaria xx. Item eiuſmodi alia, quæ minus multa quidem alii, ſed tantũ numerum culleorum ſcripſiſſe puto, ne cogeretur quotannis vendere vinum. Vetera enim quam noua, & eadem alio tempore, quam alio pluris. Item ſic de ferramentorum varietate ſcribit permulta, & genere, & multitudine qua ſint, vt falces, palas, raſtros. Sic alia quorum nonnulla genera ſpecies habẽt plures, vt falces. nam dicuntur ab eodem ſcriptore vineaticæ opus eſſe ſex, ſirpiculæ v, ſiluaticæ v, arborariæ iii, & ruſtariæ x. Hic hæc. At Scrofa, inſtrumentum, & ſupellectilem ruſticam omnem oportet habere ſcriptam in vrbe & rure dominum. vilicum contra ea ruri omnia certo ſuo quæque loco ad villam debent eſſe poſita. Quæ non poſſunt eſſe ſub claui, quam maxime facere vt ſint in conſpectu oportet, eo magis ea, quæ in rariore ſunt vſu, vt quibus in vindemia vtuntur, vt corbulæ, & ſic alia. quæ enim res quotidie videntur, minus metuunt furem.

*Quæ, & quo quidque loco maxime expediat ſerere.* 23.

SVSCIPIT Agraſius, Et quoniam habemus illa duo prima, ex diuiſione quadripartita, de fundo, & de inſtrumento, quo coli ſolet, de tertia parte expecto. Scrofa, Quoniam fructum, inquit, arbitror eſſe fundi eum, qui ex eo ſatus naſcitur vtilis ad aliquam rem, duo conſideranda, quæ, & quo quidq; loco maxime expediat ſerere. alia enim loca appoſita ſunt ad fœnum, alia ad frumentum, alia ad vinum, alia ad oleum. Sic ad pabulum quę pertinent, in quo eſt ocimum, farrago, vicia, medica, cytiſum, lupinum. Neque in pingui terra omnia ſeruntur recte, neque in macra nihil. Rectius enim in tenuiore terra ea quæ non multo indigent ſuco, vt cytiſum & legumina, præter cicer: hoc enim quoque legumen, vt cætera, quæ velluntur e terra, non ſubſecantur: quæ quod ita leguntur, legumina dicta. in pingui rectius, quæ cibi ſunt maioris, vt holus, triticum, ſiligo, linum. Quædam etiam ſerenda non tam propter præſentem fructum, quam in annum proſpiciẽtem, quod ibi ſubſecta atque relicta terram faciunt meliorem. Itaque lupinũ cum necdum ſiliculam cepit, & nonnunquam fabalia, ſi ad ſiliquas non ita peruenit vt fabam legere expediat, ſi ager macrior eſt, pro ſtercore inarare ſolent. Nec minus

ea

ſoli. Ille adiicit ab eodem ſcriptore, Si locus humectus ſit, ibi cacumina populorum ſerunda, & arundinetum. id prius bipalio verti, ibi oculos arundinis pedes ternos alium ab alio ſeri, ibi quoque corrudam, vnde aſparagi fiant, aptam eſſe vtrique eandem fere culturam. ſalicem Græcam circum arundinetum ſeri oportere, vti ſit qui vitis alligari poſſit.

*Vinea in quo agro ſerenda ſit.* 25.

VINEA quo in agro ſerunda ſit, ſic obſeruandū. Qui locus optimus vino ſit, & oſtentus ſoli, aminæum minuſculū, & geminum eugeneum, helueolum minuſculū ſeri oportere. Qui locus craſſior ſit, aut nebuloſus, ibi aminæū maius, aut murgentinum, apicium, lucanum ſeri. Cæteras vites, & de his miſcellas maxime, in omne genus agri conuenire.

*Quo loco ridica in vinea figi debeant.* 26.

IN omni vinea diligenter obſeruant, vt ridica vitis ab ſeptētrione verſus tegatur. & ſi cupreſſos viuas pro ridicis inſerūt, alternos ordines imponunt: neque eas creſcere altius, quā ridicas patiuntur, neque propter eas adſerunt vites, quod inter ſe hæc inimica. Agrius Fundanio, Vereor, inquit, ne ante æditimus veniat huc, quam hic ad quartum actum. vindemiam enim expecto. Bono animo es, inquit Scrofa: ac fiſcinam expedi, & vrnam.

*De ſolis curſu deſcripto in partes anni quatuor & octo, & quæ eis quaque parte in agro debeant fieri.* 27.

ET quoniam tempora duorum generum ſunt, vnum annale, quod ſol circuitu ſuo finit: alterum menſtruum, quod luna circumiens comprehendit: prius dicam de ſole. Eius curſus annalis primum fere circiter ternis mēſibus ad fructus eſt diuiſus in IIII partes, & idem ſubtilius ſeſquimenſibus in VIII. In quatuor, quod diuiditur in ver, & æſtatem, & autumnum, & hiemem. Vere ſtationes quædam fiunt. terram rudem proſcindere oportet. quæ ſunt ex ea enata, prius quam ex iis quid ſeminis cadat, vt ſint exradicata. & ſimul glæbis ab ſole percalefactis aptiores facere ad accipiendum imbrem, & ad opus facilores, relaxatas. neque ea minus bis arandum, ter melius. AEſtate fieri meſſes oportere. Autumno ſiccis tempeſtatibus vindemias, ac ſiluas excoli commodiſſime: tunc præcidi arbores oportere ſecundum terram. Radices autem prioribus imbribus vt effodiātur, nequid ex his naſci poſſit. Hieme

putari

*Secundo interuallo inter Vernum æquinoctium, quod eſt viii. Kal. Apriles, & Vergiliarum exortum, qui eſt vi. Idus Maias, quæ fieri oporteat.* 30.

SECVNDO interuallo inter vernum æquinoctium, & vergiliarum exortum hæc fieri: Segetes runcari, herbam e ſegetibus expurgari, boues terram proſcindere, ſalicem cædi, prata defendi, quæ ſuperiore tempore fieri oportuerit, & non ſunt abſoluta antequam gemmas agant ac floreſcere incipiant, fieri. Quod ſi quæ folia amittere ſolent, ante frondere inceperint, ſtatim ad ſerendum idoneæ non ſunt. Oleam ſeri, interputarique oportet.

*Tertio interuallo inter Vergiliarum exortum, qui eſt vi. Idus Maias ad ſolſtitiũ, quod eſt vi. Kal. Iul. quæ fieri oporteat: vbi De vineis nouellis, De pampinatione, Qualis ſit capreolus in vite, De pabulo ſecando, De irrigatione.* 31.

TERTIO interuallo inter vergiliarum exortum & ſolſtitium hæc fieri debent. Vineas nouellas fodere, aut arare, & poſtea occare, id eſt comminuere, ne ſit glæba. quod ita occidunt, occare dicunt. Vites pampinari, ſed a ſciente. nam id, quam putare maius, neque in arbuſto, ſed in vinea fieri. Pampinare eſt ex ſarmento coles, qui nati ſunt, de iis, qui plurimũ valent, primum, ac ſecundum, nonnunquam etiam tertium relinquere, reliquos decerpere, ne relictis colibus ſarmentum nequeat miniſtrare ſucum. Ideo in vitiario primitus cum exit vitis, tota reſecari ſolet, vt firmiore ſarmento e terra exeat, atque in pariendis colibus vires habeat maiores. Eiuncidum enim ſarmentum propter infirmitatem ſterile, neque ex ſe poteſt eiicere vitem, quam vocant minorem flagellum, maiorem etiam vnde vuæ naſcuntur, palmam. prior litera vna mutata declinata a venti flatu, ſimiliter flabellum ac flagellum. poſterior quo ea vitis immittitur ad vuas pariendas, dicta primo videtur a pariendo parilema: exin mutatis literis, vt in multis, dici cœpta palma. Ex altera parte caprea dicta, quod parit capreolum, is eſt coliculus viteus intortus, vt cincinnus. is enim vites vt teneat, ſerpit ad locum capiundum. ex quo a capiendo capreolus dictus. Omne pabulum, primũ ocimum, farraginem, viciam, nouiſſime fœnum ſecari. Ocinum dictum a Græco verbo ὠκέως, quod valet cito. Similiter quo ocimum in horto. Hoc amplius dictum ocinum, quod

citat

*ſeri in Vergiliarum occaſu VI. Idus Nouembres. Vindemiam fieri oportere inter Æquinoctium autumnale, V. Kal. Octobres, & Vergiliarum occaſum VI. Idus Nouembres: deinde vites putari, & propagari, & ſeri poma frigidis locis vere.* 34.

SEXTO interuallo ab æquinoctio autumnali incipere ſcribunt oportere ſerere, vſque ad diem XCI. poſt brumam. niſi quæ neceſſaria cauſa coegerit, non ſerere: quod tantum interſit, vt ante brumam ſata, ſeptimo die: quæ a bruma ſata, XL die vix exiſtant. neque ante æquinoctium incipi oportere putant. quod ſi minus idoneæ tempeſtates ſint conſecutæ, puteſcere ſemina ſoleant. Fabam optime ſeri in vergiliarum occaſu. Vuas autem legere, & vindemiam facere inter æquinoctium autumnale, & vergiliarum occaſum. Dein vites putare incipere, & propagare, & ſerere poma. Hæc aliquot regionibus, vbi maturius frigora fiunt aſperiora, melius verno tempore.

*Septimo interuallo, inter Vergiliarum occaſum V. Idus Nouembres, & brumam VIII. Kal. Ianuarias quæ fieri oporteat.* 35.

SEPTIMO interuallo inter vergiliarum occaſum, & brumam, hæc fieri oportere dicunt. Serere lilium, & crocum, quod iam egit radicem: roſam. ea conciditur radicitus in virgulas palmares, & obruitur. hæc eadem poſtea transfertur facta viuiradix. Violaria in fundo facere non eſt vtile, ideo quod neceſſe eſt e terra ad ea obruenda puluinos fieri, quos irrigationes, & pluuiæ tempeſtates abluunt, & agrum faciunt macriorem. Ab fauonio vſque ad arcturi exortum recte ſerpullũ e ſeminario transferri: quod dictum ab eo quod ſerpit. Foſſas nouas fodere, veteres tergere, vineas arbuſtumque putare, dum in XV. diebus ante & poſt brumam, vt pleraque ne facias: nec non tum aliquid recte ſeritur, vt vlmi.

*Octauo interuallo, inter brumam VIII. Kal. Ianuarias, & Fauonium V. Idus Febr. quæ fieri oporteat.* 36.

OCTAVO interuallo inter brumam & fauonium hæc fieri oportet. de ſegetibus, ſi qua eſt aqua, deduci: ſin ſiccitates ſunt, & terra teneritudinem habet, ſarire. vineas, arbuſtaque putare. Cũ in agris opus fieri nõ poteſt, quæ ſub tecto poſſunt, tunc conficienda antelucano tempore hyberno. Quæ dixi, ſcripta, & poſita habere in villa oportet, maxime vt vilicus norit.

De

QVAE loca in agro ſtercoranda videndum, & qui, & quo genere potiſſimum facias: nam diſcrimina eius aliquot. Stercus optimum ſcribit eſſe Caſſius volucrium, præter paluſtriũ, ac nantium. De hiſce præſtare columbinum, quod ſit calidiſſimum, ac fermentare poſſit terram. Id vt ſemen aſpergi oportere in agro, non vt de pecore aceruatim poni. Ego arbitror pręſtare ex auiariis turdorum ac merularum, quod non ſolum ad agrum vtile, ſed etiam ad cibum, ita bubus ac ſuibus, vt fiãt pingues. Itaq; qui auiaria cõducunt, ſi caueat dominus, ſtercus vt in fundo maneat, minoris conducunt quam ii, quibus id accedit. Caſſius ſecundum columbinum ſcribit eſſe hominis. Tertio caprinum, & ouillum, & aſininum. Minime bonum equinum, ſed in ſegetes. in prata enim vel optimum vt cæterarum veterinarum, quæ ordeo paſcuntur, quod multam facit herbam. Sterquilinium ſecundum villam facere oportet, vt quam pauciſſimis operis egeratur. In eo ſi in medio robuſta aliqua materia ſit depacta, negant ſerpentem naſci.

*Quatuor eſſe genera ſeminum, & quæ quo tempore, loco, vt debeant ſeri.* 39.

SATIONIS autem gradus ſecundus hanc habet naturam, ad quod tempus cuiuſque ſeminis apta ſit ad ſerendum. Nam refert in agro ad quam partem cæli quiſque locus ſpectet, ſic ad quod quæque tempus res facillime creſcat. Nonne videmus alia florere verno tempore, alia æſtiuo: neque eadem autumnali, quæ hyberno? Itaque alia ſeruntur, atque inſeruntur, & metuntur ante, aut poſt, quam alia. & cum pleraque vere melius, quam autumno inſerantur, circiter ſolſtitium inſeri ficos, nec non brumalibus diebus ceraſos. Quare cum ſemina fere quatuor ſint generum, quæ transferuntur e terra in terram, viuiradices: quæ ex arboribus dempta demittuntur in humum, quæ inſeruntur ex arboribus in arbores, de ſingulis rebus videndum, quæ quoque tempore locoque facias.

*Quæ ſint genera ſeminum, & quemadmodum propagari debeant: & quibus temporibus, quoque loco ponenda ſint.* 40.

PRIMVM ſemen quod eſt principium genendi, id duplex. vnum, quod latet noſtrum ſenſum: alterum, quod apertum. Latet, ſi ſunt ſemina in aere, vt ait phyſicus Anaxagoras: & ſi aqua

veniat arbor. Eſt altera ſpecies ex arbore in arborem inſerendi nuper animaduerſa in arborib. propinquis. Ex arbore, e qua quis vult habere ſurculum, in eam, quam inſerere vult, ramulum traducit, & in eius ramo præciſo, ac diſiſſo implicat. eum locum qui cõtingit ex vtraque parte, quod intro eſt falce extenuatur, ita vt ex vna parte, quod cælum vidurum eſt, corticem cum cortice exæquatum habeat. Eius ramuli, quem inſereret cacumen vt directum ſit ad cælum, curat. Poſtero anno cum comprehendit, vnde propagatum eſt, ab altera arbore præcidit.

*De temporibus transferendorum ſurculorum, & quæ ſint poſt ſationem obſeruanda.* 41.

Qvo tempore quæque transferas, hęc in primis videnda, quod quæ prius verno tempore inſerebantur, nunc etiam ſolſtitiali, vt ficus, quod denſa materia non eſt, & ideo ſequitur caldorem. A quo fit, vt in locis frigidis ficeta fieri non poſſint. Aqua recenti inſito inimica. tenellum enim cito facit putre. Itaque quod inſeritur caniculæ ſigno, commodiſſime exiſtimatur inſeri. quæ autem natura minus ſunt mollia, vas aliquod ſupra alligant, vnde ſtillet lentę aqua ne prius exareſcat ſurculus, quam coaleſcat. cuius ſurculi corticem integrum ſeruandum, & eum ſic exacuendum, vt non denudes medullam. ne extrinſecus imbres noceant, aut nimius calor, argilla oblinendum, ac libro obligandum. Itaque vitem triduo antequam inſerant, deſecant, vt qui in ea nimius eſt humor diffluat antę, quam inſeratur. at in qua inſerunt, in ea paulo infra, quam inſitum eſt, incidunt: vnde humor aduēticius effluere poſſit. contra in fico, & malo punica, & ſiqua etiam horũ natura aridiora, continuo. In aliis translationibus videndũ, vt quod transferat in cacumen, habeat gemmam, vt in ficis. De his primis quatuor generibus ſeminum, quędam quod tardiora, ſurculis potius vtendum, vt in ficetis faciunt. Fici enim ſemen naturale intus in ea fico, quam edimus. quæ ſunt minuta grana, e quibus paruis, quod enaſci coliculi vix queunt. Omnia enim minuta & arida, ad creſcendum tarda, ea quæ laxiora & fœcundiora, vt fœmina, quam mas, ex proportione in virgultis item. itaque ficus, malus punica, & vitis, propter fœmineam mollitiem ad creſcendum prona. Cõtra palma, & cupreſſus & olea, in creſcendo tarda. in hoc enim humidiora quam aridiora. quare ex terra potius in ſeminariis

prægnantia cum ſunt, matura pariunt poma, aut ſpicam: ſic alia. ſimile ei, a quo profectum, redit ſemen. Itaque ſi florem, acerbumue pirum, aliudue quid decerpſeris, in eodem loco, eodem anno, nihil renaſcitur, quod prægnationis idem bis habere non poteſt. vt enim mulieres habent ad partum dies certos, ſic arbores ac fruges.

*Sata quoto quaque die prodeant de terra.* 45.

PRIMVM plerunque e terra exit ordeum diebus VII. nec multo poſt triticum. Legumina fere quatriduo, aut quinque diebus, præterquam faba. ea enim ſerius aliquanto prodit ſeges. Oſtendit idem milium, & ſeſama, & cætera ſimiliter æquis ſere diebus, præterquam ſiquid regio, aut tempeſtas vitii attulit, quominus ita fiat. Quæ in ſeminario nata, ſi loca erunt frigidiora, quæ molli natura ſunt, per brumalia tempora tegere oportet frõde, aut ſtramentis: ſi erunt imbres ſecuti, videndum necubi aqua conſiſtat. venenum enim gelum radicibus tenellis ſub terra, & ſupra virgultis, quæ nec eodem tempore æque creſcunt. nam radices autumno, aut hieme magis ſub terra, quam ſupra adoleſcunt, quod tectæ terræ tepore propagantur, ſupra terram aere frigidiore tingũtur. idque ita eſſe docent ſilueſtria, ad quæ ſator non acceſſit. nam prius radices, quam ea quæ ex iis ſolent naſci, creſcunt. neque radices longius procedunt, niſi quo tempore venit ſol. his duplex cauſa, quod & radicum materiam aliam, quam aliam longius proiicit natura: & quod alia terra, alia facilius viam dat.

*Ex quibus foliis cognoſci poſſint anni tempora.* 46.

PROPTER eiuſmodi res admiranda diſcrimina ſunt naturalia, quod ex quibusdam foliis propter eorum verſuram, quod ſit anni tempus dici poſſit, vt olea, & populus alba, & ſalix. Horum enim folia, cum conuerterunt ſe, ſolſtitium dicitur fuiſſe. nec minus admirandum, quod fit in floribus quos vocant heliotropia, ab eo quod ad ſolis ortum mane ſpectant, & eius iter ita ſequuntur ad occaſum, vt ad eum ſemper ſpectent.

*Quemadmodum ſata ſint tuenda.* 47.

IN ſeminario quæ ſurculis conſita, & eorum molliora erunt natura cacumina, vt olea ac ficus. Ea ſumma integenda binis tabellis dextra & ſiniſtra deligatis, herbæque elidendæ, & dum teneræ ſunt vellendæ. prius enim aridæ factæ

rixan-

*De meſſe, & cauſa huius vocabuli, quare meſſis appellata ſit, quareue palea appellata ſint.* 50.

MESSIS proprio nomine dicitur in iis quę metimur, maxime in frumenro, & ab eo eſſe vocabulo declinata. Frumenti tria genera ſunt meſſionis, vnum, vt in Vmbria, vbi falce ſecundum terram ſuccidunt ſtramentum: & manipulum, vt quenque ſubſecuerunt, ponunt in terra. vbi eos fecerunt multos, iterum eos percenſent, ac de ſingulis ſecant inter ſpicas & ſtramentum: ſpicas coniiciunt in corbem, atque in aream mittunt. ſtramenta relinquunt in ſegete, vnde tollantur in aceruum. Altero modo metunt, vt in Piceno, vbi ligneum habent incuruum batillum, in quo ſit extremo ſerrula ferrea. hęc cum comprehendit faſcē ſpicarum deſecat, & ſtramenta ſtantia in ſegete relinquit, vt poſtea ſubſecentur. Tertio modo metitur, vt ſub vrbe Roma, & locis pleriſque, vt ſtramentum medium ſubſecent, quod manu ſiniſtra ſummum prehendunt: a quo medio meſſem dictam puto. Infra manum ſtramentum, quod terræ hæret, poſtea ſubſecatur. Contra quod, cum ſpica ſtramentum hæret, corbibus in aream defertur: vbi diſcedit in aperto loco palam: a quo poteſt nominata eſſe palea. Alii ſtramentum a ſtando, vt ſtamen dictum putant. Alii ab ſtratu, quod id ſubſternatur pecori. Cum eſt matura ſeges, metendum, cum in ea iugerum fere vna opera propemodum in facili agro ſatis eſſe dicatur: meſſas ſpicas corbibus in aream deferre debent.

*Aream qualem eſſe oporteat.* 51.

AREAM eſſe oportet in agro, ſublimiori loco, quam perflare poſſit ventus. Hanc eſſe modicam pro magnitudine ſegetis, potiſſimum rotundam, & mediam paulo extumidam, (vt ſi pluerit, non conſiſtat aqua, & quam breuiſſimo itinere extra aream defluere poſſit. Omne porro breuiſſimum in rotundo e medio ad extremum) ſolida terra pauitam, maxime ſi eſt argilla, ne æſtu pæminoſa, in rimis eius grana oliteſcāt, & recipiant aquam, & oſtia aperiant muribus ac formicis. Itaque amurca ſolent perfundere. ea enim herbarum eſt inimica, & formicarum: & talparum venenum. Quidam aream vt habeant ſolidam, muniunt lapide, aut etiam faciunt pauimentum. Nonnulli etiam tegunt areas, vt in Bagiennis, quod ibi ſæpe id temporis anni oriuntur nimbi. vbi ea retecta, & loca calida, prope aream faciundum vmbracula, quo ſuccedāt homines in æſtu tempore meridiano.

In ſemen

*De olea legenda.* 55.

De oliueto, oleam quam manu tangere poſſis e terra, ac ſcalis, legere oportet potius quam quatere, quod ea, quę vapulauit, maceſcit, nec dat tantum olei. quæ manu ſtricta, melior ea quæ digitis nudis legitur, quam illa quæ cum digitalibus. Duricies enim eorum non ſolum ſtringit bacam, ſed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos. qui manu tangi non poterunt, ita quati debent, vt arundine potius quam pertica feriantur. Grauior enim plaga medicum quærit. qui quatiet, ne aduerſam cædat: ſæpe enim ita percuſſa olea ſecum defert de ramulo plantam. quo facto, fructum amittunt poſteri anni. nec hæc non minima cauſa, quod olueta dicant alternis annis non ferre fructus, aut non æque magnos. Olea vt vua per idem biuium redit in villam, alia ad cibum eligitur, alia vt eliqueſcat, ac non ſolum corpus intus vnguat, ſed etiam extrinſecus. Itaque dominum & balneas, & gymnaſium ſequitur. Hæc, de qua fit oleum, congeri ſolet aceruatim per dies ſingulos in tabulata, vti ibi mediocriter fraceſcat, ac primus quiſque aceruus demittatur per ſerias, ac vaſa olearia ad trapeta, in quæ eam terent molæ oleariæ e duro & aſpero lapide. Olea lecta ſi nimium diu fuit in aceruis, caldore fraceſcit, & oleum fœtidum fit. itaque ſi nequeas mature conficere, in aceruis iactando ventilare oportet. Ex olea fructus duplex; oleum, quod omnibus notum, & amurca, cuius vtilitatem quod ignorant plærique, licet videre e torculis oleariis fluere in agros, ac non ſolum denigrare terram, ſed multitudine facere ſterilem: cum is humor modicus, cum ad multas res, tum ad agriculturam pertineat vehementer, quod circum arborum radices infundi ſolet, maxime ad oleam, & vbicunque in agro herba nocet.

*De fœno condendo.* 56.

Agrivs, Iamdudum, inquit, in villa ſedens expecto cum claui te Stolo, dum fructus in villam referas. Ille, Em quin adſum. venio, inquit, ad limen, fores aperi. primum fæniſicię conduntur melius ſub tecto, quam in aceruis. quod ita fit iucundius pabulum, ex eo intelligitur, quod pecus vtroque poſito libentius eſt.

*De tritico condendo.* 57.

At triticum condi oportet in granaria ſublimia, quæ perflentur vento ab exortu, ac ſeptentrionum regione, ad quæ nulla aura humida ex propinquis locis adſpiret. parietes &

ſolum

marmorato, alii ſubſtrata palea, vel etiam floccis. Mala punica demiſſis ſuis ſurculis in dolio arenæ. Mala cotonea, ſtruthea in penſilibus iunctis. Contra in ſapa condita manere pira aniciana, & ſementiua. Sorba quidam diſſecta, & in ſole macerata, vt pira, & ſorba per ſe vbicunque ſint poſita in arido facile durare. Seruare rapa conſecta in ſinape, nuces iuglandes in arena, punica mala & in arena iam decerpta, ac matura, vt dixi, & etiam immatura cum hærent in ſua virga, ſi demiſeris in ollam ſine fundo, eamque ſi conieceris in terram, & obteris circum ramum, ſi extrinſecus ſpiritus afflet, ea non modo integra eximi, ſed etiam maiora, quam in arbore vnquam pependerint.

*De olea condenda.* 60.

De oliuitate: Oleas eſui optime cōdi ſcribit Cato, orchites, & pauſeas aridas, vel virides in muria, vel lentiſco contuſas. Orchites nigras, ſale ſi ſint confricatę dies quinque, & tum ſale excuſſo, biduum ſi in ſole poſitæ fuerint, manere idoneas ſolere: eaſdem ſine ſale in defrutum condire.

*De amurca condenda.* 61.

Recte amurcam periti agricolæ tam in doliis condunt, quam oleum, aut vinum. Eius conditio, cum expreſſa effluxit, quod ſtatim de ea decoquuntur duæ partes, & refrigeratum conditur in vaſa. Sunt item aliæ cōditiones, vt ea, in qua adiicitur muſtum.

*De promendis frugibus tuendi cauſa.* 62.

Qvod nemo fructus condit, niſi vt promat, de eo quoque vel ſexto gradu animaduertenda pauca. Promunt condita aut propterea, quod ſint tuenda, aut quod vtenda, aut quod vendenda. Ea quæ diſſimilia ſunt inter ſe, aliud alio tempore tuendum, & vtendum.

*Quemadmodum frumentum promendum ſit.* 63.

Tvendi cauſa promendum id frumentum, quod curculiones exeſſe incipiunt. id enim cum promptum eſt, in ſole ponere oportet aquæ catinos, quod eo conueniunt, vt ipſi ſe necent, curculiones. ſub terra qui habent frumentum in iis quos vocant σειρὺς, quod cum periculo introitur recenti apertione, ita vt quibuſdam ſit intercluſa anima, aliquanto poſt promere, quam aperueris, oportet. Far, quod in ſpicis condideris per meſſem; & ad vſus cibatus expedire velis, promēdum hieme, vt in piſtrino piſetur, ac torreatur.

De a-

Quæ vendenda, videndum, quæ quoque tempore oporteat promi. Alia enim, quæ manere non poſſunt, antequam ſe commutent, vt celeriter promas, ac vendas. Alia quæ ſeruari poſſunt, vt tum vendas, cum caritas eſt. Sæpe enim diutius ſeruata non modo vſuram adiiciunt, ſed etiam fructum duplicant, ſi tempore promas. Cum hæc diceret Stolo, venit libertus æditumi ad nos flēs, & rogat vt ignoſcamus quod ſimus retenti, & vt ei in funus poſtridie prodeamus. Omnes conſurgimus, ac ſimul exclamamus, Quid? in funus? quod funus? quid eſt factum? Ille flens narrat, ab neſcio quo percuſſum cultello concidiſſe, quem qui eſſet, animaduertere in turba non potuiſſe, ſed tantummodo exaudiſſe vocem, perperam feciſſe. Ipſe, cum patronum domum ſuſtuliſſet, & pueros demiſiſſet vt medicum requirerent, ac mature adducerent: quod potius illud adminiſtraſſet, quam ad nos veniſſet, æquum eſſe ſibi ignoſci. Nec ſi eum ſeruare non potuiſſet, quin non multo poſt animam efflaret, tamen putare ſe feciſſe recte. Non moleſte ferentes deſcendimus de æde, & de caſu humano magis querentes, quam admirantes id Romæ factum, diſcedimus omnes.

---

# M. TERENTII VARRONIS

## RERVM RVSTICARVM

## DE RE PECVARIA

### LIBER II.

Viri magni noſtri maiores non ſine cauſa præponebant ruſticos Romanos vrbanis. vt ruri enim, qui in villa viuunt ignauiores, quā qui in agro verſantur in aliquo opere faciundo: ſic qui in oppido ſederent, quam qui rura colerēt, deſidioſiores putabant. Itaque annum ita diuiſerunt, vt nonis modo diebus vrbanas res vſurparent, reliquis VII, vt rura colerent. Quod dum ſeruauerunt inſtitutum, vtrunque ſunt conſecuti, vt & cultura agros fœcundiſſimos haberent, & ipſi valetudine firmiores eſſent: ac ne Græcorum vrbana deſiderarent gymnaſia, quæ nunc vix ſatis ſingula ſunt: nec putant ſe habere villam, ſi non multis vocabulis retineāt Græcis, quum vocent particulatim loca, προκοιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον,

περίστυ-

quæ ars: cum Petam feſſum viſere veniſſemus, ni medici aduentus nos interrupiſſet. Ego vero, inquam, dicam duntaxat, quod eſt ἱστορικὸν, de duabus rebus primis, quæ accepi de origine, & dignitate. de tertia parte, vbi eſt de arte, Scrofa ſuſcipiet: vt ſemigræcis paſtoribus dicam Græce, -----κρείσσων πολλὸν ἀμείνων. Nam is magiſter C. Lucilii Hipri generi tui, cuius nobiles pecuariæ in Brutiis habentur. Sed hæc ita a nobis accipietis, inquit Scrofa, vt vos, qui eſtis Epirotici, pecuarii athletæ, remuneremini nos, ac quæ ſcitis, proferatis in medium. nemo enim omnia poteſt ſcire. Cum accepiſſem conditionem, vt meæ partes eſſent primæ, non quo non ego pecuarias in Italia habeam, ſed non omnes qui habent citharam, ſunt citharœdi. Igitur inquam & homines & pecua cum ſemper fuiſſe ſit neceſſe, natura (ſiue enim aliquod fuit principium generandi animalium, vt putauit Thales Mileſius, & Zeno Cittieus: ſiue contra, principium horum extitit nullum, vt credidit Pythagoras Samius, & Ariſtoteles Stagerites) neceſſe eſt humanæ vitæ a ſumma memoria gradatim deſcendiſſe ad hanc ætatem, vt ſcribit Dicæarchus: & ſummum gradum fuiſſe naturalem, cum viuerent homines ex iis rebus, quæ inuiolata vltro ferret terra. ex hac vita in ſecundam deſcendiſſe paſtoriciam e feris atque agreſtibus, vt ex arboribus ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad vſum: ſic ex animalibus, cum propter eandem vtilitatem quæ poſſent ſiluestria deprehenderent, ac concluderent, & manſueſcerent. In queis primum non ſine cauſa putant oues aſſumptas, & propter vtilitatem, & propter placiditatem. maxime enim hæ natura quietæ, & aptiſſimæ ad vitam hominum. Ad cibum enim lacte & caſeum adhibitum, ad corpus veſtitum & pelles attulerunt. Tertio denique gradu a vita paſtorali ad agriculturam deſcenderunt. in qua ex duobus gradibus ſuperioribus retinuerunt multa. & quo deſcenderant, ibi proceſſerunt longe, dum ad nos perueniret. Etiam nunc in locis multis genera pecudum ferarum ſunt aliquot, vt in Phrygia ex ouibus, vbi greges videntur complures: vt in Samothrace caprarum, quas Latine rotas appellant, Sunt enim in Italia circum Fiſcellum & Tetricam montes, multæ. De ſuibus nemini ignotum, niſi qui apros non putat ſues vocari. Boues perferi etiam nunc ſunt multi in Dardania, & Media, & Thracia. Aſini feri in Phrygia, & Lycaonia. Equi feri in Hiſpaniæ citeriorib-

vt Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: ſic a pecudibus alii multi. Reliquum eſt de ſcientia paſtorali, de qua eſt dicendum, quod Scrofa noſter, cui hæc ætas defert rerum ruſticarum omnium palmam, quo melius poteſt dici, cum conuertiſſent in eum ora omnes. Scrofa, Igitur, inquit, eſt ſcientia pecoris parandi, ac paſcendi, vt fructus quam poſſint maximi capiantur ex ea, a quibus ipſa pecunia nominata eſt. nam omnis pecuniæ, pecus fundamentum. Ea partes habet nouē diſcretas ter ternas: vt ſit vna de minoribus pecudibus: cuius genera tria, ouis, capra, ſus. altera de pecore maiore, in quo ſunt item ad tres ſpecies natura diſcreti, boues, aſini, equi. tertia pars eſt in pecuaria, quæ non paratur, vt ex iis capiatur fructus, ſed propter eam, aut ex ea ſint, muli, canes, paſtores. Harum vnaquæq; in ſe generales partes habet nouenas, quarum in pecore parādo neceſſariæ quatuor: alteræ in paſcendo totidem. præterea communis vna. Ita fiunt omnes partes minimum octoginta & vna, & quidem neceſſariæ, nec paruæ. Primum vt bonum pares pecus, vnum ſcire oportet, qua ætate quamque pecudem parare, habereque expediat. Itaque in bubulo pecore minoris emitis anniculam & ſupra decem annorum, quod a bima, aut trima fructum ferre incipit, neque longius poſt decimum annum procedit. Nam prima ætas omnis pecoris, & extrema, ſterilis. E quatuor altera pars, eſt cognitio formæ vniuſcuiuſque pecudis qualis ſit. Magni enim intereſt, cuiuſmodi quæque ſit ad fructum. Ita potius bouem emunt cornibus nigrantibus, quam albis: capram amplam, quam paruam: ſues procero corpore, capitibus vt ſint paruis. Tertia pars eſt, quo ſint ſeminio quærendum. Hoc nomine enim aſini Arcadici in Græcia nobilitati, in Italia Reatini, vſq; eo, vt mea memoria aſinus venierit ſextertiis millibus LX. & vnæ quadrigæ Romæ conſtiterint quadringentis millibus. Quarta pars eſt de iure in parando, quemadmodum quanque pecudem emi oporteat ciuili iure. Quod enim alterius fuit, id vt fiat meum, neceſſe eſt aliquid intercedere. Neque in omnibus ſatis eſt ſtipulatio, aut ſolutio numorum ad mutationem domini. In emptione alias ſtipulandum ſtatim eſſe e valetudinario, alias e ſano pecore, alias e neutro. Alteræ partes quatuor ſunt, cum iam emeris, obſeruandæ: de paſtione, de fœtura, de nutricatu, de ſanitate. Paſcendi primus locus qui eſt, eius ratio triplex. In qua regione quāque potiſſimū paſcas, & quādo. e queis, vt capras in mōtoſis potius locis & fruticibus,

quam

ſic boues altiles, ad ſacrificia publica ſaginati, dicuntur opimi. Quarta pars eſt de ſanitate: res multiplex, ac neceſſaria, quod morboſum pecus, & vitioſum, & quando non valet, ſæpe magna gregem afficit calamitate. Cuius ſcientiæ genera duo: vnum vt in hominem, ad quem adhibendi medici: alterum, quo ipſe etiam paſtor diligens mederi poſſit. Eius partes ſunt tres. nam animaduertendum, quæ cuiuſque morbi ſint cauſę, quæque ſigna earum cauſarum ſint, & quę quenque morbum ratio curandi ſequi debeat. Fere morborum cauſæ erunt, quod laborant propter æſtus, aut propter frigora, necnon etiam propter nimium laborem, aut contra, propter nullam exercitationem, aut ſi cum exercueris, ſtatim ſine interuallo cibum aut potionem dederis. Signa autem ſunt, vt eorum, qui ſiue ex æſtu, ſiue e labore febrem habent, adapertum os humido ſpiritu crebro, & corpore calido. Curatio autem, cum hic eſt morbus, hæc. perfunditur aqua, & perunguitur oleo & vino tepefacto, & item cibo ſuſtinetur, & iniicitur aliquid ne frigus cædat, ſitienti aqua tepida datur. Si hoc genus rebus non proficitur, dimittitur ſanguis, maxime e capite. Item ad alios morbos aliæ cauſę, etiam alia ſigna in omni pecore, quæ ſcripta habere oportet magiſtrum pecoris. Relinquitur nonum, quod dixi de numero vtriuſque partis commune. Nam & qui parat pecus, neceſſe eſt conſtituat numerum, quot greges, & quanto ſit paſturus, ne aut ſaltus deſint, aut ſuperſint, & ideo fructus diſpereant. Præterea ſcire oportet in grege quot fœminas habeat, quæ parere poſſunt, quot arietes, quot vtriuſque generis ſoboles, quot reiiculæ ſint alienandæ. In alimoniis ſi ſunt plures nati, vt quidam faciunt, ſequendum, vt quoſdam ſubducas. quæ res facere ſolet, vt reliqui melius creſcant. Vide, inquit Atticus, ne te fallat, & nouenæ iſtę partes non exeant extra pecoris minoris ac maioris nomen. Quo pacto enim erunt in mulis & paſtoribus nouenæ partes, vbi nec admiſſuræ, nec fœturæ obſeruantur? In canibus enim video poſſe dici. Sed do etiam in hominibus poſſe nouenarium retineri numerum, quod in hybernis habent in villis mulieres, quidam etiam in æſtiuis, & id pertinere putant, quo facilius ad greges paſtores retineant, & puerperio familiam faciant maiorem, & rem pecuariam fructuoſiorem. Si inquam numerus non eſt, vt ſit ad amuſſim, vt non eſt, cum dicimus mille naues iiſſe ad Troiam, cētumuirale eſſe iudicium Romæ: deme (ſi vis) duas res de mulis, admiſſuram, & parturam.

agnos procreant formoſos. In emptionibus iure vtimur eo, quod lex præſcripſit. in ea enim alii plura, alii pauciora excipiunt. quidam enim pretio facto in ſingulas oues, vt agni chordi duo pro vna oue annumerentur, & ſi cui vetuſtate dentes abſunt, item binæ pro ſingulis vt procedant. de reliquo antiqua fere formula vtuntur. cum emptor dixit, Tanti ſunt mi emptæ? & ille reſpondit, Sunt, & expromiſit numos: emptor ſtipulatur priſca formula ſic, Illaſce oues, qua de re agitur, ſanas recte eſſe, vti pecus ouillum, quod recte ſanum eſt extra luſcam, ſurdam, minam, id eſt, ventre glabro, neque de pecore morboſo eſſe, habereque recte licere. hæc ſic recte fieri ſpondes? Nec cum id factum eſt, tamen grex dominum non mutauit, niſi ſit æs adnumeratum. Nec non emptor pote ex empto vendito illum damnare, ſi nõ tradet, quamuis non ſoluerit numos: vt ille emptorem ſimili iudicio, ſi non reddit pretium. De alteris quatuor rebus deinceps dicam, De paſtione, fœtura, nutricatu, ſanitate. Primum prouidendum, vt totum annum recte paſcantur intus, & foris. ſtabula idoneo loco vt ſint: ne ventoſa: quæ ſpectent magis ad orientem, quam ad meridianum tempus. vbi ſtent, ſolum oportet eſſe eruderatum, & procliuum, vt euerri facile poſſit, ac fieri purum: non enim ſolum ea vligo lanam corrumpit ouium, ſed etiam vngulas, ac ſcabras fieri cogit. Cum aliquot dies ſteterunt, ſubiicere oportet virgulta alia, quo mollius requieſcãt, purioreſque ſint: libentius enim ita paſcuntur. Faciendum quoque ſepta ſecreta ab aliis, quo incientes ſecludere poſſis, item quo corpore ægro. hæc magis ad villaticos greges animaduertenda. Contra illæ, in ſaltibus quę paſcuntur, & a tectis abſunt longe, portaut ſecum crates, aut retia, quibus cohortes in ſolitudine faciant, cæteraque vtenſilia. longe enim, & late in diuerſis locis paſci ſolent, vt multa millia abſint ſæpe hybernæ paſtiones ab æſtiuis. Ego vero ſcio, inquam: nam mihi greges in Appulia hybernabãt, qui in Reatinis montibus æſtiuabant. Cum inter hæc bina loca, vt iugum continet ſirpiculos, ſic calles publice diſtantes paſtiones, eęq; ibi, vbi paſcuntur in eadem regione: tamen temporibus diſtingunt, vt æſtate quod tum prima luce exeunt paſtum, propterea quod tunc herba roſcida, meridianã, quę eſt aridior, iucunditate præſtat. Sole exorto puto propellunt, vt redintegrantes rurſus ad paſtum alacriores faciant. Circiter meridianos æſtus, dum deferueſcant, ſub vmbriferas rupes, & arbores patulas ſubiiciunt,

quoad

brorum. Si ad matris mammam non accedet, admonere oportet. & labra agni vnguere butyro aut adipe ſuilla, & olfaçere labra lacte. Diebus poſt paucis obiicere his viciam molitam, aut herbam teneram, ante quam exeunt paſtum, & cum reuerterunt. Et ſic nutricantur quoad facti ſunt quadrimeſtres. interea matres eorum his temporibus non mulgent quidam, qui vt melius, omnino perpetuo, quod & lanæ plus ferunt, & agnos plures. Cum depulſi ſunt agni a matribus, diligentia adhibenda eſt, ne deſiderio ſeneſcant. itaque deliniendum in nutricatu pabuli bonitate: & a frigore, & æſtu, ne quid laborent, curandum. Cum obliuione iam lactis non deſiderant matrem, tum denique compellendum in gregem ouium. Caſtrare oportet agnum non minorem quinque mēſium, neque ante quam calores, aut frigora ſe fregerunt. Quos arietes ſubmittere volunt, potiſſimum eligunt ex matribus, quæ geminos parere ſolent. pleraque ſimiliter faciendum in ouibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, vt ſunt Tarentinæ & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte poſſit, vel lauari, ac parari. Horum præſepia ac ſtabula, vt ſint pura, maiorem adhibeant diligentiam quam hirtis. Itaque faciunt lapide ſtrata, vt vrina necubi in ſtabulo conſiſtat. his quæcunque iubentur, veſcuntur, vt folia ficulnea, & palea, & vinacea: furfures obiiciuntur modice, ne parum, aut nimium ſaturentur. vtrunque enim ad corpus alendum inimicum. at maxime amicum cytiſum, & medica. nam & pingues facit facillime, & genit lac. De ſanitate ſunt multa, ſed ea ( vt dixi ) in libro ſcripta magiſter pecoris habet: & quæ opus ad medendum, portat ſecum. Relinquitur de numero, quem faciunt alii maiorem, alii minorem. nulli enim huius moduli naturales. Illud fere omnes in Epeiro facimus, ne minus habeamus in centenas oues hirtas ſingulos homines: in pellitas binos.

*De capris, hircis, & hœdis.* 3.

CVI Coſſinius, Quoniam ſatis balaſti, inquit, o Fauſtule noſter, accipe a me cum Homerico Melanthio chordo de capellis, & quemadmodum oporteat breuiter dicere, diſce. Qui caprinū gregem cōſtituere vult, in eligendo animaduertat oportet, primū ætatem: vt eam paret, quæ iam ferre poſſit fructum: & de iis eam potius, quæ diutius: nouella enim quam vetus vtilior. De forma videndum, vt ſint firmæ, magnæ, corpus lene vt habeant, crebro pilo, niſi ſi glabræ ſunt. duo enim

genera

tempore verno. In nutricatu hœdi trimeſtres cum ſint facti, tum ſubmittuntur, & in grege incipiunt eſſe. Quid dicam de earum ſanitate, quæ nunquam ſunt ſanæ? niſi tamen illud vnum, quædam ſcripta habere magiſtros pecoris, quibus remediis vtantur ad morbos quoſdam earum, ac vulneratum corpus, quod vſu venit iis ſæpe, quod inter ſe cornibus pugnant, atque in ſpinoſis locis paſcuntur. Relinquitur de numero, qui in gregibus eſt minor caprino, quam in ouillo, quod capræ laſciuæ, & quæ diſpergant ſe. contra oues quæ ſe congregent, ac condenſent in locum vnum. Itaque in agro gallico greges plures potius faciũt, quã magnos, quod in magnis cito exiſtat peſtilentia, quæ ad perniciem eum perducat. Satis magnum gregem putant eſſe circiter quinquagenas. quibus aſſentiri putant id, quod vſu venit Gaberio equiti R. Is enim cum in ſuburbano mille iugerum haberet, & a caprario quodam, qui adduxit capellas ad vrbem x, ſibi in dies ſingulos denarios ſingulos dare audiſſet, coegit mille caprarum, ſperans ſe capturum de prædio in dies ſingulos denariûm mille. Tantum enim fefellerit, vt breui omnes amiſerit morbo. Contra in Sallentinis & in Caſinati ad centenas paſcunt. De maribus & fœminis idem fere drſcrimen, vt alii ad denas capras ſingulos parent hircos, vt ego: alii etiam ad xv, vt Menas: nonnulli etiam, vt Murrius, ad viginti.

*De ſue.* 4.

SED quis e portu poſt Italico prodit, ac de ſuillo pecore expedit? tametſi Scrofam potiſſimum de ea re dicere oportere, cognomen eius ſignificat. Cui Tremellius, Ignorare inquit videre, cur appêller Scrofa. Itaque vt etiam hi propter te ſciãt, cognoſce meam gentem ſuillum cognomen non habere, nec me eſſe ab Eumæo ortum. Auus meus primum appellatus eſt Scrofa, qui quæſtor cum eſſet Licinio Neruæ Prætori in Macedonia prouincia relictus, qui præeſſet exercitui, dum prætor rediret, hoſtes arbitrati occaſionem ſe habere victoriæ, impreſſionem facere cœperunt in caſtra. Auus, cum cohortaretur milites, vt caperent arma, atque exirent contra, dixit celeriter ſe illos (vt Scrofa porcos) diſiecturũ. id quod fecit. nam eo prælio hoſtes ita fudit, ac fugauit, vt eo Nerua prætor Imperator ſit appellatus, auus cognomen inuenerit, vt diceretur Scrofa. itaque proauus, ac ſuperiores, de Tremelliis nemo appellatus Scrofa. Nec minus ſeptimus ſum deinceps prætorius in gente noſtra. Nec tamen defugio quin dicam quæ ſcio de

ſuillo

molare. Ab ſuillo enim genere pecoris immolandi initiũ primum ſumptum videtur, cuius veſtigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui reges, ac ſublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali noua nupta,&nouus maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini,& etiam Græci in Italia idem factitaſſe videntur. Nam & noſtræ mulieres maxime nutrices, naturam, qua fœminæ ſunt, in virginibus appellant porcum, & Græcæ χοῖρον, ſignificantes eſſe dignum inſigni nuptiarum. Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum. Itaque iis animam datã eſſe proinde ac ſalem, quæ ſeruaret carnem. E queis ſuccidias Galli optimas & maximas facere conſueuerũt. Optimarum ſignum, quod etiam nunc quotannis e Gallia apportantur Romam pernæ tomacinæ, & taniacæ, & petaſiones. De magnitudine Gallicarum ſuccidiarum Cato ſcribit his verbis: In Italia in ſcrobes terna atque quaterna millia aulia ſuccidia. Vere ſus vſqueadeo pinguitudine creſcere ſolet, vt ſe ipſa ſtãs ſuſtinere non poſſit, neque progredi vſquam. Itaq; eas ſiquis quo traiicere vult, in ploſtrum imponit. in Hiſpania vlteriore in Luſitania ſus cum eſſet occiſus, Attilius Hiſpanienſis minime mendax, & multarum rerum peritus in doctrina, dicebat L. Volumnio Senatori miſſam eſſe offulam cum duabus coſtis quæ penderet III & XX pondo: eiusque ſuis a cute ad os pedem & III digitos fuiſſe. Cui ego, Non minus res admiranda, quum mi eſſet dicta, in Arcadia ſcio me eſſe ſpectatum ſuem, quæ præ pinguitudine carnis non modo ſurgere non poſſet, ſed etiam vt in eius corpore ſorex exeſa carne nidum feciſſet, & peperiſſet mures. Hoc etiam in * vineta factũ accepi. Sus ad fœturam quæ ſit fœcunda animaduertunt fere ex primo partu, quod non multum in reliquis mutat. In nutricatu quam porculationem appellabant, binis menſibus porcos ſinunt cum matribus. ſed eos, cum iam paſci poſſunt, ſecernunt. Porci qui nati hieme, fiunt exiles propter frigora, & quod matres aſpernantur, propter exiguitatem lactis, & quod dentibus ſauciantur, propterea mammæ. ſcrofa in ſua quæq; hara ſuos alat oportet porcos, quo alienos aſpernantur: & ideo ſi conturbati ſunt in fœtura, fit deterius. Natura diuiſus earum annus biſariam, quod bis parit in anno. quaternis menſibus fert ventrem: binis, nutricat. Haram facere oportet circiter trium pedum altam, & latam amplius

paulo

paſcunt, vt deſiderium ferre poſſint parentis, quod decem diebus aſſequuntur. Subulcus debet conſuefacere omnia, vt faciant ad bucinam. Primo cum incluſerunt, cum bucinatum eſt, aperiunt, vt exire poſſint in eum locum, vbi ordeum fuſum in longitudine. Sic enim minus diſperit, quam ſi in aceruos poſitum, & plures facilius accedunt, ideo ad XII conuenire dicuntur, vt ſilueſtri loco diſperſi, ne diſpereant. Caſtrātur verres commodiſſime anniculi, vtique ne minores, quam ſemeſtres: quo facto nomen mutant, atque e verribus dicuntur maiales. De ſanitate ſuum vnum modo exempli cauſa dicam. Porcis lactentibus ſi ſcrofa lac non poteſt ſuppeditare, triticum frictum dari oportet (crudum enim ſoluit aluum) vel ordeum obiici ex aqua. quoad fiant trimeſtres. De numero: in centum ſues, decem verres ſatis eſſe putant. Quidam etiam hinc demunt. Greges maiores inæquabiles habent. Sed ego modicum puto centenarium. Aliquot maiores faciunt, ita vt ter quinquagenos habeant. Porcorum gregem alii duplicant, alii etiam maiorem faciunt. Minor grex, quàm maior minus ſumptuoſus, quod comites ſubulcus pauciores quęrit. Itaque gregis numerum paſtor ab ſua vtilitate conſtituit, non vt quot verres habeat: id enim a natura ſumendum. Hæc hic.

*De Bubus, & vaccis.* 5.

AT Q. Lucienus Senator homo quanuis humanus, ac iocoſus, introiens familiaris omnium noſtrum, συνηπειρῶται, inquit, χαίρετε, & Varronem noſtrum, inquit, ποιμένα λαῶν: Scrofam enim mane ſalutaui. cum alius eum ſalutaſſet, alius conuiciatus eſſet, qui tam ſero veniſſet ad conſtitutum, Videbo iam vos, inquit, balatrones, & huc afferam meum coriū & flagra. Tu vero Murri veni mi aduocatus, dum aſſes ſoluo Palilibus, ſi poſtea a me repetant, vt teſtimonium perhibere poſſis. Atticus Murrio, Narra iſti, inquit, eadem, qui ſermones ſint habiti, & quid reliqui ſit, vt ad partes paratus veniat: nos interea ſecundum actum de maioribus adtexamus. In quo quidem, inquit Vaccius, meæ partes, quoniam boues ibi. Quare dicam de bubulo pecore, quam acceperim ſcientiam: vt ſiquis quid ignorat, diſcat: ſiquis ſcit, nunc vbi labar obſeruet. Vide quid agas, inquam, Vacci. Nam bos in pecuaria, maxima debet eſſe auctoritate: præſertim in Italia, quę a bubus nomen habere ſit exiſtimata. Græcia enim antiqua (vt ſcribit Timæus) tauros vocabant ἰταλούς. a quorum

multi-

nigri, & albi. Neque non præterea, vt mares ſeminis boni ſint, quorum & forma eſt ſpectanda, & qui ex his orti ſunt, vt reſpondeant ad parentum ſpeciem: & præterea quibus regionibus nati ſunt, refert. Boni enim generis in Italia plerique gallici ad opus: contra iugatorii liguſtici. Transmarini epirotici non ſolum meliores totius Græciæ, ſed etiam Italię. tametſi quidam de Italicis quos propter amplitudinem præſtare dicunt, ad victimas farciunt, atque ad deorum ſeruant ſupplicia. qui ſine dubio ad res diuinas propter dignitatem amplitudinis & coloris præponendi. Quod eo magis fit, quod albi in Italia non tam frequentes, quam qui in Thracia ad μέλανα κόλπον, vbi alio colore pauci. Eos cum emimus domitos, ſtipulamur, ſic, Illoſce boues ſanos eſſe, noxisque præſtari? Cum emimus indomitos, ſic, Illoſce iuuencos ſanos recte, deque pecore ſano eſſe, noxisque præſtari ſpondesne? Paulo verboſius hæc, qui Mamilii actiones ſequuntur lanii, qui ad cultrum bouem emunt, & qui ad altaria, hoſtiæ ſanitatem non ſolent ſtipulari. Paſcuntur armenta commodiſſime in nemoribus, vbi virgulta, & frons multa. Hieme cum hibernant ſecundum mare, æſtu abiguntur in montes frondoſos. Propter fœturam hæc ſeruare ſoleo. ante admiſſuram menſem vnum, ne cibo & potione ſe impleant, quod exiſtimantur facilius macræ concipere. Contra, tauros duobus mēſibus ante admiſſuram herba, & palea, ac fœno facio pleniores, & a fœminis ſecerno. Habeo tauros totidem, quot Atticus, ad matrices LXX duo, vnum anniculum, alterum bimum. Hoc, ſecundum aſtri exortum facio, quod Græci vocāt λύραν, fidem noſtri. Tum denique tauros in gregem redigo. Mas an fœmina ſit concepta, ſignificat deſcenſu taurus cum iniit: ſiquidem, ſi mas eſt, in dexteriorem partem abit: ſi fœmina, in ſiniſteriorem. Cur hoc fiat, vos videritis, inquit mihi, qui Ariſtotelem legitis. Non minores oportet inire bimas, vt trimæ pariant, eo melius ſi quadrimæ. Pleræque pariunt in decem annos, quædam etiam in plures. Maxime idoneum tempus ad concipiendum a delphini exortu vſque ad dies XL, aut paulo plus. Quæ enim ita conceperunt, temperatiſſimo anni tempore pariunt. Vaccæ enim menſibus decem ſunt prægnantes. De quibus admirandum ſcriptum inueni, exemptis teſticulis, ſi ſtatim admiſeris, concipere. Eas paſci oportet in locis viridibus, & aquoſis. Cauere oportet, ne aut anguſtius ſtent, aut feriantur, aut concurrant. Itaque quod

eas

honeſtos,corpore amplo,ſeminio bono: ex his locis, vnde optimi exeunt, quod faciunt Peloponneſii,cum potiſſimum eos ex Arcadia emebant, in Italia ex agro Reatino. Non enim ſi murænæ optimæ flutæ ſunt in Sicilia, & ellops ad Rhodon, continuo hi piſces in omni mari ſimiles naſcuntur. Horum genera duo. vnum ferum, quos vocant onagros, in Phrygia & Lycaonia ſunt greges multi. alterum manſuetum, vt ſunt in Italia omnes. Ad ſeminationem onagrus idoneus, quod e fero fit manſuetus facile,& e manſueto ferus nunquam. Quod ſimiles parentum genuntur, eligendi & mas & fœmina, cum dignitate vt ſint. In mercando item (vt cæteræ pecudes) emptionibus, & traditionibus dominum mutant, & de ſanitate ac noxa ſolet caueri. Commode paſcuntur farre, & furfuribus ordeaceis. Admittuntur ante ſolſtitium, vt eodem tempore alterius anni pariant. Duodecimo enim menſe conceptum ſemen reddunt. Prægnantes opere leuant. Venter enim labore, nationem reddit deteriorem. Marem non diiungunt ab opere, quod remiſſione laboris fit deterior. In paſtu eadem fere obſeruant, quæ in equis. Secundum partum pullos anno non remouent a matre. Proximo anno noctibus patiuntur eſſe cum his, & leniter capiſtris, aliaue qua re habent vinctos. Tertio anno domare incipiunt ad eas res, ad quas quiſque eos vult habere in vſu. Relinquitur de numero, quorum greges non ſane fiunt,niſi ii, qui onera portent. ideo quod plerique deducuntur ad molas, aut ad agriculturam, vbi quid vehendum eſt; aut etiam ad arandum, vbi leuis eſt terra, vt in Campania. Greges fiunt fere mercatorum, vt eorum qui e Brundiſino,aut Appulia aſellis doſſuariis comportāt ad mare oleum,aut vinum, itemque frumentum,aut quid aliud.

### *De equis & equabus.* 7.

L v c i e n v s, Ego quoque adueniens aperiam carceres, inquit, & equos emittere incipiam, nec ſolum mares, quos admiſſarios habeo, vt Atticus, ſingulos in fœminas denas, e queis fœminas Q. Modius Equiculus vir fortiſſimus etiam patre militari iuxta ac mares habere ſolebat. Horum equorū, & equarum greges qui habere voluerunt, vt habent aliqui in Peloponneſo,&in Appulia,primum ſpectare oportet ætatem, quam præcipiunt. Videndum ne ſint minores trimæ, maiores decem annorum. AEtas cognoſcitur equorum, & fere omnium qui vngulas indiuiſas habent, & etiam cornutarum, quod

mane & veſpere. Peroriga enim appellatur quiſquis admittit: eo enim adiutante equæ alligatæ celerius admittuntur, neque equi fruſtra cupiditate impulſi ſemen eiiciunt. Quoad ſatis ſit admitti ipſæ ſignificant, quod ſe defendunt. Si faſtidium ſaliendi eſt, ſcillæ medium conterunt cum aqua ad mellis craſſitudinem: tum ea re naturam equæ, cum menſes ferunt, tangunt. contra, ab locis equæ nares equi tangunt. Tametſi incredibile, quod vſu venit, memoriæ mandandum: Cum equus matrem vt ſaliret adduci non poſſet, & eum capite obuoluto peroriga adduxiſſet, & coegiſſet matrem inire, cum deſcendenti demſiſſet ab oculis, ille impetum fecit in eum, ac mordicus interfecit. Cum conceperunt equæ, videndũ ne aut laborent pluſculum, aut ne frigidis locis ſint, quod algor maxime prægnantibus obeſt. Itaque in ſtabulis ab humore prohibere oportet humum, clauſa habere oſtia, ac feneſtras, & inter ſingulas a præſepibus interiicere longurios qui eas diſcernant, ne inter ſe pugnare poſſint. Prægnantem neque implere cibo, neque eſurire oportet. Alternis qui admittunt, diuturniores equos, & molliores pullos fieri dicunt. Itaque vt reſtibiles ſegetes eſſent exuctiores, ſic quotannis quæ prægnantes fiant. In decem diebus ſecundum partum cum matribus in pabulum prodigendũ. Ne vngulas comburat ſtercus cauendum. Quinquemeſtribus pullis factis, cum redacti ſunt in ſtabulum, obiiciendum farinam ordeaceam molitam cum furfuribus, & ſiquid aliud terra natum libenter edent. Anniculis iam factis dandũ ordeum, & furfures vſque quo ad erunt lactentes. Neque prius biennio confecto a lacte remouendũ. Eosque cum ſtent cum matribus, interdum tractandum, ne cum ſint diiuncti, exterreantur. Eademque cauſa ibi frenos ſuſpendendum, vt equuli conſueſcant & videre eorum faciem, & e motu audire crepitus. Cum iam ad manus accedere conſuerint, interdum imponere iis puerum bis aut ter pronum in ventrem, poſtea iam ſedentem. hæc facere cum ſit trimus: tum enim maxime creſcere, ac lacertoſum fieri. Sunt qui dicant poſt annum & ſex menſes equulum domari poſſe, ſed melius poſt trimum, a quo tempore farrago dari ſolet. Hæc enim purgatio maxime neceſſaria equino pecori, quod dieb. decem facere oportet. nec pati alium vllum cibum guſtare. Ab vndecimo die vſque ad quartumdecimum dandum ordeum, quotidie adiiciendo minutatim. Quod quarto die feceris, in eo decem diebus proximis manendum. ab eo tempore mediocriter

largius facimus, vt cibo ſuffundamus vires ad fœturam. Eodem tempore, quo equos adducentes, iidemque vt ineant equas per origas curamus. Cum peperit equa mulum, aut mulam, nutricantes educamus. Hi, ſi in paluſtribus locis, atque vliginoſis nati, habent vngulas molles. Iidem ſi exacti ſunt æſtiuo tempore in montes, quod fit in agro Reatino, duriſſimis vngulis fiunt. In grege mulorum parando, ſpectanda ætas, & forma. alterum, vt vecturis ſufferre labores poſſint: alterum vt oculos aſpectu delectare queant. Hiſce enim binis coniunctis omnia vehicula in viis ducuntur. Hæc me Reatino auctore probares mihi, inquit, niſi tu ipſe domi equarum greges haberes, ac mulorum greges vendidiſſes. Hinnus, qui appellatur, eſt ex equo & aſina, minor quã mulus corpore, plerunque rubicundior, auribus vt equinis, iubam, & caudam ſimilem aſini. Item in ventre eſt (vt equus) menſes duodecim. Hoſce item vt equulos & educant, & alunt, & ætatem eorum ex dentibus cognoſcunt.

*De canibus.* 9.

RELINQVITVR, inquit Atticus, de quadrupedibus, quod ad canes attinet, maxime ad nos, qui pecus paſcimus lanare. Canis enim ita cuſtos pecoris, vt eius, quod eo comite indiget ad ſe defendendum. In quo genere ſunt maxime oues, deinde capræ. Has enim lupus captare ſolet, cui opponimus canes defenſores. In ſuillo pecore tamen ſunt, quæ ſe vindicẽt ſues, verres, maiales, ſcrofæ. prope enim hæc apris, qui in ſiluis ſæpe dentibus canes occiderunt. Quid dicam de pecore maiore? cum ſciam mulorum gregem cum paſceretur, eoque veniſſet lupus, vltro mulos circumfluxiſſe, & vngulis cædendo eum occidiſſe? & tauros ſolere diuerſos aſſiſtere clunibus continuatos, & cornibus facile propulſare lupos? Quare de canibus, quoniam genera duo, vnum venaticum, & pertinet ad feras beſtias, ac ſilueſtres: alterum, quod cuſtodiæ cauſa paratur, & pertinet ad paſtorem: dicam de eo ad formam artis expoſitam in nouem partes. Primum ætate idonea parandi, quod catuli & vetuli neque ſibi, neque ouibus ſunt præſidio, & feris beſtiis nonnunquam prædæ. Facie debent eſſe formoſi, magnitudine ampla, oculis nigrantibus aut rauis, naribus congruentibus, labris ſubnigris aut rubicundis, neque reſimis ſuperioribus, nec pendulis ſubtus, mento ſuppreſſo, & ex eo enatis duobus dentibus dextra & ſiniſtra, paulo eminulis ſuperioribus, directis potius, quam

brocchis

dentes. Necnon ita panem ordeaceum dandum, vt non potius eum in lacte des intritum, quod eo conſueti cibo vti, a pecore non cito deſciſcunt. Morticinæ ouis non patiuntur veſci carne, ne ducti ſapore minus ſe abſtineant. Dant etiam ius ex oſſibus, & ea ipſa oſſa contuſa. dentes enim facit firmiores, & os magis patulũ. Propterea quod vehementius diducuntur malæ, acrioreſq; fiunt propter medullarum ſaporem. Cibum capere conſueſcunt interdiu, vbi paſcuntur: veſperi, vbi ſtabulantur. De fœtura, principium admittendi faciunt veris principio: tunc enim dicuntur catulire, id eſt, oſtendere velle ſe maritari. Quæ cum admiſſæ, pariunt circiter ſolſtitio. prægnãtes enim ſolent eſſe ternos menſes. In fœtura dandum potius ordeaceos quam triticeos panes. magis enim eo aluntur, & lactis præbent maiorem facultatem. In nutricatu ſecundũ partum ſi plures ſunt, ſtatim eligere oportet quos habere velis, reliquos abiicere. Quam pauciſſimos reliqueris, tam optimi in alendo fiunt propter copiam lactis. Subſternitur eis acus, aut quid item aliud, quod molliore cubili facilius educantur. catuli diebus x x videre incipiunt. Duobus menſibus primis a partu non diiunguntur a matre, ſed minutatim deſuefiunt. Educunt eos plures in vnum locum, & irritant ad pugnandum, quo fiant acriores, neque defatigari patiuntur, quo fiant ſegniores. Conſue quoque faciunt vt alligari poſſint, primum leuibus vinclis: quæ ſi abrodere conantur, ne id conſueſcant facere, verberibus eos deterrere ſolent. Pluuiis diebus cubilia ſubſternenda fronde aut pabulo, duabus de cauſis, vt ne oblinantur, aut perfrigeſcant. Quidam eos caſtrant, quod eo minus putant relinquere gregem. quidam non faciunt, quod eos credunt minus acres fieri. quidam nucibus Græcis in aqua tritis perungunt aures, & inter digitos: quod muſcæ, & ricini, & pulices ſoleant (ſi hoc vnguine non ſis vſus) ea exulcerare. Ne vulnerentur a beſtiis, imponuntur his collaria, quæ vocantur mælium, id eſt, cingulum circum collum ex corio firmo cum clauulis capitatis, quæ intra capita inſuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri. Quod ſi lupus, aliuſve quis his vulneratus eſt, reliquas quoque canes facit, quæ id non habent, vt ſint in tuto. Numerus canum pro pecoris multitudine ſolet parari. Fere modicum eſſe putant, vt ſinguli ſequantur ſingulos opiliones: de quo numero alius alium modum conſtituit. Quod ſi ſunt regiones vbi beſtię ſint multæ, debent eſſe plures. quod accidit iis qui per calles ſilueſtres longin-

& paſtoribus opus ſunt, maxime ad victum hominum, & ad medicinam pecudum: ad quam rem habent iumenta doſſuaria domini, alii equas: alii pro his quid aliud, quod onus dorſo ferre poſſit. Quod ad fœturam humanam pertinet paſtorum, qui in fundo perpetuo manent, facile eſt, quod habeant conſeruam in villa. nec hac venus paſtoralis longius quid quęrit. Qui autem ſunt in ſaltibus, & ſilueſtribus locis paſcunt. & non villa, ſed caſis repentinis imbres vitant: his mulieres adiungere, quæ ſequantur greges, ac cibaria paſtoribus expediant, eoſque aſſiduiores faciant, vtile arbitrati multi. Sed eas mulieres eſſe oportet firmas, non turpes, quæ in opere, vt in multis regionibus, non cedant viris, vt in Illyrico paſſim videre licet, quod vel paſcere pecus, vel ad focum afferre ligna, ac cibum coquere, vel ad caſas inſtrumentum ſeruare poſſunt. De nutricatu hoc dico, eaſdem fere & nutrices, & matres. Tremellius, ſimul aſpicit ad me, & Vt te audii dicere, inquit, cum in Liburniam veniſſes, te vidiſſe matres familias eorum, afferre ligna, & ſimul pueros, quos alerent, alias ſingulos, alias binos, quæ oſtenderent fœtas noſtras, quæ in conopeis iacent dies aliquot, eſſe * leuuncidas, ac cõtemnendas. Cui ego, Certe inquam. nam in Illyrico hoc amplius, prægnantem ſæpe, cum venit pariendi tempus, non longe ab opere diſcedere, ibique enixam puerum referre, quem non peperiſſe, ſed inueniſſe putes. nec non etiam hoc quas virgines ibi appellant, nonnunquã annorum xx, quibus mos eorum non denegauit ante nuptias vt ſuccumberent quibus vellent, & incomitatis vt vagari liceret, & filios habere. Quæ ad valetudinem pertinent hominum, ad pecoris, vt ſine medico curari poſſint, magiſtrum ſcripta habere oportet. Is enim ſine literis idoneus non eſt, quod rationes dominicas pecuarias cõficere nequicquam recte poteſt. De numero paſtorum alii anguſtius, alii laxius conſtituere ſolent. Ego in octogenas hirtas oues ſingulos paſtores conſtitui, Atticus in centenas. In gregibus ouium, ſed magnis quos milliarios faciunt quidam, facilius de ſumma hominum detrahere poſſunt, quam de minoribus, vt ſunt & Attici & mei. Septingenarii enim mei: tu opinor, octingenarios habuiſti. Nec tamen nõ vt nos arietum decimam partem. Ad equarum gregem quinquagenarium bini homines. vtique vterq; horum vt ſecum habeat equas domitas ſingulas in iis regionibus, in quibus ſtabulari ſolent equas abigere, vt in Appulia, & in Lucanis accidit ſæpe.

buit pellem iniectam, eam intrinſecus eadem re perinungunt, & tegunt rurſus. Siqua in tonſura plagam accepit, eum locum oblinunt pice liquida. Oues hirtas tondent circiter ordeaceam meſſem: in aliis locis ante fœniſicia. Quidam has in anno bis tondent, vt in Hiſpania citeriore, ac ſemeſtres faciunt tonſuras. duplicem impendunt operam, quod ſic plus putant fieri lanæ: quo nomine quidam bis ſecant prata. Diligentiores tegeticulis ſubiectis oues tondere ſolent, nequi flocci intereant. Dies ad eam rem ſumuntur ſereni, & iis id faciunt fere a quarta ad decimam horam: quoniam ſole calidiore tonſa, ex ſudore eius lana fit mollior, & pōderoſior, & colore meliore. Quam demptam, ac conglobatam, alii vellera, alii velumina appellant. ex quorum vocabulo animaduerti licet, prius lanæ vulſuram quam tonſuram inuentam. Qui etiam nunc vellunt, ante triduo habent ieiunas, quod languidæ minus radices lanæ retinent. Omnino tonſores in Italia primum veniſſe ex Sicilia dicūtur poſt R. C. A. CCCCLIIII, vt ſcriptum in publico Ardeæ in literis extat, eoſq; adduxiſſe P. Ticinium Menam. Olim tonſores non fuiſſe adſignificant antiquorum ſtatuæ, quod plæræque habent capillum, & barbam magnam. Suſcipit Coſſinius, Vt fructum ouis e lana ad veſtimentum, ſic capra pilos miniſtrat ad vſum nauticum, & ad bellica tormenta, & fabrilia vaſa. Neque non quædam nationes harum pellibus ſunt veſtitæ, vt in Getulia, & in Sardinia. cuius vſum apud antiquos quoque Græcos fuiſſe apparet, quod in tragœdiis ſenes ab hac pelle vocantur διφθερίαι, & in comœdiis, qui in ruſtico opere morantur, vt apud Cæcilium in Hypobolimæo habet adoleſcens, apud Terentium in Heautontimorumeno ſenex. Tondentur, quod magnis villis ſunt in magna parte Phrygiæ; vnde cilicia, & cætera eius generis ferri ſolent. Sed quod primum ea tonſura in Cilicia ſit inſtituta, nómen id Cilicas adiecíſſe dicunt. Illi hoc. neque ab hoc, quod mutaret Coſſinius. & ſimul Vituli libertus in vrbem veniens ex hortis diuertitur ad nos, Et ego ad te miſſus, inquit, ibam domum rogatum, ne diem feſtum faceres breuiorem, & mature venires. Itaque diſcedimus ego & Scrofa in hortos ad Vitulum. Niger in Turranii noſtri. illi partim domum, partim ad Lenatem.

M. TE-

appellatur Thebæ. Cum agriculturam primo propter paupertatem maxime indiſcretam haberent, quod a paſtoribus, qui erant orti in eodem agro & ſerebant, & paſcebant: qui poſtea creuerunt, peculia diuiſerunt, ac factum vt dicerentur alii agricolæ, alii paſtores. Quæ ipſa pars duplex eſt, tametſi ab nullo ſatis diſcreta, quod altera eſt villatica paſtio, altera agreſtis. Hæc nota & nobilis, quod & pecuaria appellatur, & multum homines locupletat, & ob eam rem aut cõductos, aut emptos habent ſaltus. Altera villatica, quod humilis videtur, a quibuſdam adiecta ad agriculturam cum eſſet paſtio, neque explicata tota ſeparatim, quod ſciam, ab vllo. Itaque cùm putarem eſſe rerum ruſticarum, quæ conſtituta ſunt fructus cauſa tria genera, vnum de agricultura, alterum de re pecuaria, tertium de villaticis paſtionibus: tres libros inſtitui, e queis duo ſcripſi. primum ad Fundaniam vxorem de agricultura, ſecundum de pecuaria ad Turranium Nigrum. qui reliquus eſt tertius de villaticis fructibus, in hoc ad te mitto, quod viſus ſum debere pro noſtra vicinitate & amore ſcribere potiſſimũ ad te. Cum enim villam haberes opere tectorio & inteſtino, ac pauimentis nobilibus lithoſtrotis ſpectandam, parum putaſſes eſſe, ni tuis quoque literis exornati parietes eſſent. Ego quoque, quo ornatior ea eſſe poſſet fructu quam factu, quo ad facere poſſem, hæc ad te miſi, recordatus de ea re ſermones, quos de villa perfecta habuiſſemus. de quibus exponendis initium capiam hinc.

*Quæ dicitur villa.* 2.

COMITIIS ædiliciis cum ſole caldo ego & Q. Axius ſenator tribulis, ſuffragium tuliſſemus, & candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe præſto, cum domum rediret: Axius, Mihi dum diribentur, inquit, ſuffragia, vis potius villæ publicæ vtamur vmbra, quam priuati candidati tabella, dum ita ædificemus nobis? Opinor, inquam, nõ ſolum quod dicitur, Malum conſilium, conſultori eſt peſſimum: ſed etiam bonum conſilium, qui conſulit, & qui conſulitur, bonum habendum. itaque imus, venimus in villam. Ibi Appium Claudium augurem ſedentem inuenimus in ſubſelliis, vt conſuli, ſiquid vſus popoſciſſet, eſſet præſto. Sedebat ad ſiniſtram ei Cornelius Merula conſulari familia ortus, & Fircellius Pauo Reatinus. ad dextram Minutius Pica, & M. Petronius Paſſer. Ad quem cum acceſſimus, Axius Appius ſubridens, Recipis nos, inquit, in tuum ornithona, vbi ſedes inter aues? Ille, Ego vero, inquit, te præ-

ſimplex ruſtica, quam eam in qua eſſet vtrunque, & ea, & vrbana, & rogaſſet quid ex his rebus colligeret, Quid, inquit, ſi propter paſtiones tuus fundus in Roſea probandus ſit: & quod ibi paſcitur pecus, ac ſtabulatur, recte villa appellatur? Hæc quoque ſimili de cauſa debet vocari villa, in qua propter paſtiones fructus capiuntur magni. Quid enim refert vtrum propter oues, an propter aues fructus capias? Anne dulcior eſt fructus apud te ex bubulo pecore, vnde apes naſcuntur, quam ex apibus, quæ ad villam, in aluearijs opus faciunt? & num pluris nunc tu e villa illic natos verres lanio vendis, quam hic apros macellario Seius? Qui minus ego, inquit Axius, iſtas habere poſſum in Reatina villa? niſi ſi apud Seium Siculum fit mel, Corſicum in Reatino: & hic aprum glãs cum paſcit empticia facit pinguem, illic gratuita exilem. Appius, Poſſe ad te fieri, inquit, Seianas paſtiones non negauit Merula: ego non eſſe ipſe vidi. Duo enim genera cum ſint paſtionum: vnum agreſte, in quo pecuariæ ſunt: alterum villaticum, in quo ſunt gallinæ, ac columbæ, & apes, & cætera quæ in villa ſolent paſci: de quibus & Pœnus Mago, & Caſſius Dionyſius, & alii quid ſeparatim ac diſperſim in libris reliquerunt, quos Seius legiſſe videtur, & ideo ex his paſtionibus ex vna villa maiores fructus capere, quam alii faciunt ex toto fundo. Certe, inquit Merula. nam ibi vidi greges magnos anſerum, gallinarum, columbarum, gruum, pauonum, nec non glirium, piſcium, aprorum, & cætera venationis. ex quibus rebus ſcriba librarius libertus eius, qui apparuit Varroni, & me abſente patrono hoſpitio accipiebat, in annos ſingulos plus quinquagena millia e villa carpere dicebat. Axio admiranti, Certe noſti, inquam, materteræ meæ fundum in Sabinis, qui eſt ad quartum & viceſimum lapidem via ſalaria a Roma. Quidni, inquit? vbi æſtate diem meridie diuidere ſoleam, cum eo Reate ex vrbe, aut cum inde venio hieme noctu ponere caſtra. Atq; in hac villa qui eſt ornithon, ex eo vno quinque milia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis, vt ſexaginta milia ea pars reddiderit eo anno villæ, bis tantum quam tuus fundus ducentũ iugerum Reate reddit. Quid ſexaginta, inquit Axius? LX, LX derides? Sexaginta inquam. Sed vt ad hũc bolum peruenias, opus erit tibi aut epulum, aut triũphus alicuius, vt tunc fuit Scipionis Metelli, aut collegiorũ cœnæ, quæ tunc innumerabiles, excandefaciebant annonam macelli. Reliquis annis omnib. & hanc expectabis ſummam:
ſpero

artificum paranda, aucupes, venatores, piſcatores, vt ab his emenda, quę tuorũ ſeruorũ diligentia tuearis in fœtura ad partus, & nata nutricare ſaginareque, in macellum vt perueniant. Neque non etiam quædam aſſumenda in villam ſine retibus aucupis, venatoris, piſcatoris, vt glires, cocleæ, & gallinæ. Earum rerum cultura inſtituta prima, ea quæ in villa habentur. non enim ſolum augures Romani ad auſpicia primum parant pullos, ſed etiam patresfamiliæ rure. Secunda, quæ maceriæ ad villam venationis cauſa cluduntur, & propter aluearia. apes enim ſubter ſubgrundas ab initio villatico vſæ tecto. Tertia piſcinæ dulces fieri cœptæ, & e fluminibus captos recepere ad ſe piſces. Omnibus tribus his generibus ſunt bini gradus, ſuperiores, quos frugalitas antiqua: inferiores, quos luxuria poſterior adiecit. Primus enim ille gradus antiquus maiorum noſtrum erat, in quo eſſent auiaria, duo duntaxat: in plano cohors, in qua paſcebantur gallinæ, & earum fructus erant oua, & pulli. Alter ſublimis, in quo erant columbæ in turribus, aut ſumma villa. Contra, nunc auiaria ſunt nomine mutato, quod vocantur ornithones, quæ palatum ſuaue domini parauit, vt tecta maiora habeant, quam tum habebant, totas villas, in quibus ſtabulentur turdi ac pauones. Sic in ſecunda parti, ac leporario pater tuus Axi, præterquam lepuſculum e venatione vidit nunquam. Neque enim erat magnum id ſeptum, quod nunc vt habeant multos apros ac capreas, complura iugera maceriis concludunt. Non tum, inquit, mihi, cum emiſti fundum Thuſculanum a M. Piſonę in leporario apri fuerunt multi. In tertia parti quis habebat piſcinam, niſi dulcem, & in ea duntaxat ſqualos, ac mugiles piſces? Quis contra nunc Rhinton non dicit ſua nihil intereſſe, vtrum iis piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis? Non Philippus cum ad Immidium hoſpitem Caſini diuertiſſet, & ei e tuo flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtaſſet, & expuiſſet, dixit, Peream ni piſcem putaui eſſe? Sic noſtra ætas, inquam, luxuria propagauit leporaria, ac piſcinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piſcium reuocauit. Non propter hos appellati Sergius Orata, & L. Murena? Quis enim propter nobilitatem ignorat piſcinas Philippi, Hortenſii, Lucullorum? Quare vnde velis me incipere, Axi, dic.

*De auibus in genere.* 4.

ILLE, Ego vero, inquit (vt aiunt) poſt principia in caſtris.

id eſt,

aquam quam bibere poſſint. Cibatui offas poſitas, ex maxime glomerãtur ex ficis, & farre mixto. Diebus viginti antequam tollere vult turdos, largius dat cibum, quod plus ponit, & farre ſubtiliore incipit alere. In hoc tecto caueaque tabulata habeant aliquot ad perticæ ſupplementum. Contra hoc auiarium eſt aliud minus, in quo quæ mortuæ ibi ſunt aues, vt domino numerum reddat, curator ſeruare ſolet. Cum opus ſunt ex hoc auiario, vt ſumantur idoneæ, excluduntur in minuſculum auiarium, quod eſt coniunctum cum maiore oſtio, lumine illuſtriore, quod ſecluſorium appellant. Ibi cum enm numerum habet excluſum, quem ſumere vult, omnes occidit. Hoc ideo in ſecluſo clam, ne reliqui, ſi videant, deſpondeant animum, atque alieno tempore venditoris moriantur. Non vt aduenæ volucres pullos faciunt, in agro ciconiæ, in tecto hirundines, ſic aut hic, aut illic turdi, qui cum ſunt nomine mares, re vera fœminæ quoque ſunt: neque id non ſecutum vt eſſet in merulis, quæ nomine fœminino mares quoque ſint. Præterea volucres cum partim aduenæ ſint, vt hirundines, & grues: partim vernaculæ, vt gallinæ, ac columbæ: de illo genere ſunt turdi aduenticio, ac quotannis in Italiam trans mare aduolant circiter æquinoctium autumnale, & eodem reuolant ad æquinoctium vernum. Et alio tempore turtures, ac coturnices immani numero. hoc ita fieri apparet in inſulis propinquis Pontiis, Palmariæ, Pandatariæ. Ibi enim in prima volatura cum veniunt, morantur dies paucos requieſcendi cauſa. Idemque faciunt cum ex Italia trans mare remeant. Appius Axio, Si quinque millia huc conieceris, inquit, & erit epulum ac triumphus, ſexaginta millia quæuis ſtatim in fœnus des licebit. Tum mihi, Tu dic illud alterum genus ornithonis, qui animi cauſa conſtitutus a te ſub Caſino fertur, in quo diceris longe viciſſe non modo archetypon inuentoris noſtri ὀρνιθοτροφεῖον M. Lænii Strabonis, qui Brundiſii hoſpes noſter primus in periſtylo habuit ex hedera concluſas aues, quas paſceret obiecto rete, ſed etiam in Thuſculano magno ædificio Luculli. Cui ego, Cum habeam ſub oppido Caſino flumen, quod per villam fluat liquidum & altum, marginibus lapideis, latum pedes LVII, & e villa in villã pontibus tranſeatur, longum P. DCCCL, directum ab inſula ad Muſeum, quæ eſt a Vinio fluuio, vbi confluit altera amnis ad ſummum flumen, vbi eſt Muſeum. Circum huius ripas ambulatio ſub dio, pedes lata denos. Ab hac ambulatio-

ambulatione in agrũ verſus, ornithonis locus ex duabus par-
tibus dextra & ſiniſtra maceriis altis concluſus. Inter quas lo-
cus, qui eſt ornithonis, patet in latitudinem P. XLVIII, defor-
matus ad tabulæ literariæ ſpeciem cum capitulo forma quæ
eſt quadrata. patet in longitudinem P. LXXII, qua ad capitu-
lum rotundus eſt P. XXVII. Ad hæc, ita vt in margine quaſi
infimo tabulæ deſcripta ſit ambulatio, ab ornithone plumula,
in qua media ſunt caueæ, qua iter in aream eſt. In limine in
lateribus dextra & ſiniſtra porticus ſunt primoribus colum-
nis lapideis intermediis arbuſculis humilibus ordinatæ, cum
a ſumma macerie ad epiſtylium tecta porticus ſit rete canna-
bina: & ab epiſtylio ad ſtylobatem hæ ſunt auibus omne ge-
nus oppletæ, quibus cibus miniſtratur per retem, & aqua ri-
uulo tenui affluit. Secundum ſtylobatis interiorem partem
dextra & ſiniſtra ad ſummam aream quadratam e medio di-
uerſæ duæ non latæ, ſed oblongę ſunt piſcinæ ad porticus ver-
ſus. Inter eas piſcinas tantummodo acceſſus ſemita in tho-
lum, qui eſt vltra rotundus columnatus, vt eſt in æde Catuli,
ſi pro parietibus feceris columnas. Extra eas columnas eſt ſil-
ua manu ſata, grandibus arboribus tecta, vt infima perluceat,
tota ſepta maceriis altis. Intra tholi columnas exteriores la-
pideas, & totidem interiores ex abiete tenues, locus eſt P. V la-
tus. Inter columnas exteriores pro pariete reticuli e neruis
ſunt, vt perſpici in ſilua poſſit, & quæ ibi ſunt, neque auis eas
tranſire. Intra interiores columnas pro pariete rete auiarium
eſt obiectum. Inter has, & exteriores gradatim ſubſtructum
vt θεατρίδιον auium: mutuli crebri omnibus columnis im-
poſiti, ſedilia auium. Intra retem aues ſunt omne genus, ma-
ximę cantrices, vt luſciniolæ, ac merulæ, quibus aqua mini-
ſtratur per canaliculam, cibus obiicitur ſub retem. Subter co-
lumnarum ſtylobatem eſt lapis a falere pedem & dodrantem
alta: ipſum falere ad duo pedes altum, a ſtagno latũ ad quin-
que, vt in culcitas & columellas conuiuæ pedibus circumire
poſſint. Infimo intra falere eſt ſtagnum cum margine pedali,
& inſula in medio parua. Circum falere & naualia ſunt exca-
uata anatiũ ſtabula. In inſula eſt columella, in qua intus axis
qui pro menſa ſuſtinet rotam radiatam, ita vt ad extremũ vbi
orbile ſolet eſſe acutum, tabula cauata ſit, vt tympanum in la-
titudinẽ duo pedes & ſemipedem, in altitudinem palmũ. Hęc
ab vno puero, qui miniſtrat ita vertitur, vt omnia vna po-
nantur, & ad bibendum, & ad edendum, & admoueantur ad

omnes conuiuas. Ex ſuggeſto saleris vbi ſolent eſſe ἀκρωτήρια, prodeunt anates in ſtagnũ, ac nant, e quo riuus peruenit in duas, quas dixi, piſcinas, ac piſciculi vltro ac citro commeant, cum & aqua calida, & frigida ex orbi ligneo, menſaque, quam dixi, in primis radiis eſſe epitoniis verſis ad vnumquenque factum, ſic vt fluat in conuiuam. Intrinſecus ſub tholo ſtella lucifer interdiu, noctu heſperus, ita circumeũt ad infimum hemiſphærium, ac mouentur, vt indicent quot ſint horæ. In eodem hemiſphærio medio circum cardinem eſt orbis ventorum octo, vt Athenis in horologio, quod fecit Cypreſtes. Ibiq; eminens radius a cardine ad orbem ita mouetur, vt eum tangat ventum, qui flet, vt intus ſcire poſſis. Cum hæc loqueremur, clamor fit in campo. Nos athletæ comitiorum vna cum id fieri non miraremur propter ſtudia ſuffragatorum, & tamen ſcire vellemus quid eſſet, venit ad nos Pantulæius Parra. Narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehenſum teſſerulas cõiicientem in loculum, eum ad conſulem tractum a fautoribus competitorum. Pauo ſurgit, quod eius candidati cuſtos dicebatur deprehenſus.

*De pauonibus.* 6.

AXIVS, De Pauone, inquit, libere licet dicas, quoniam diſceſſit Fircellius, qui ſecus ſiquid diceret de iis gẽtilitatis cauſa, fortaſſe ante eum duceret ſerram. Cui Merula, De pauonibus noſtra memoria, inquit, greges haberi cœpti, & venire magno. Ex iis M. Aufidius Lurco ſupra ſexagena millia nummum in anno dicitur capere. Ii aliquanto pauciores eſſe debent mares, quam fœminæ, ſi ad fructum ſpectes. ſi ad delectationem, cõtra: formoſior enim mas. Pauonum greges agreſtes tranſmarini eſſe dicũtur in inſulis Sami in luco Iunonis. Item in Planaſia inſula M. Piſonis. Hi ad greges conſtituendos parantur bona ætate, & bona forma. Huic enim natura formæ e volucribus dedit palmam. ad admiſſuram hæ minores bimæ non idoneæ, nec iam maiores natu. Paſcuntur omne genus obiecto frumẽto, maxime ordeo. Itaque Seius iis dat in mẽſes ſingulos, ordei ſingulos modios, ita vt in fœtura det vberius, & ante quam ſalire incipiant. Is a procuratore ternos pullos exigit, eoſque, cum creuerunt, quinquagenis denariis vendit, vt nulla ouis hunc aſſequatur fructum. Præterea oua emit, ac ſupponit gallinis, ex quibus ex iis excuſos pullos refert in teſtabilem eam,* in qua pauones habet, quod tectũ pro multitudine pauonum fieri debet, & habere cubilia diſcreta,

tectorio

tabulæ fictæ, vt ſint bipalmes, quo vtantur veſtibulo, ac prodeant. Aquam eſſe oportet, quo influat, vnde & bibere, & vbi lauari poſſint. permundæ enim ſunt hæ volucres. Itaque paſtorem columbarium quotquot menſibus crebro oportet euerrere. eſt enim quod eum inquinat locum appoſitum ad agriculturam, ita vt hoc optimum eſſe ſcripſerint aliquot: ſiue quæ colūba quid offēderit, vt medeatur: ſiqua perierit, vt efferatur. Siqui pulli idonei ſunt ad vendendum, promat. Item quæ fœtæ ſunt, in certum locum vt diſcluſum ab aliis rete habeant, quo transferantur, e quo foras euocare poſſint matresque. Quod faciunt duabus de cauſis: Vna ſi faſtidiunt aut incluſæ conſeneſcunt, quo libero aere cum exierint in agros, redintegrentur: Altera de cauſa propter illicium. ipſæ enim propter pullos, quos habent, vtique redeunt, niſi a coruo occiſæ, aut ab accipitre interceptæ. Quos columbarii interficere ſolent, duabus virgis viſcatis defixis in terram, inter ſe curuatis, cum inter eas poſuerint obligatum animal, quod item petere ſoleant accipitres, qui ita decipiuntur, cum ſe obleuerūt viſco. Columbas redire ſolere ad locum licet animaduertere, quod multi in theatro e ſinu miſſas faciunt, atque ad locum redeunt: quæ niſi reuerterentur, non emitterentur. Cibus apponitur circum parietes in canalibus, quas extrinſecus per fiſtulas ſupplent. Delectantur milio, tritico, ordeo, piſo, faſeolis, eruo. Item feras has in turribus, ac ſummis villis, qui habent agreſtes columbas, quoad poſſunt immittendum in περιστερῶνας ætate bona. parandum neque pullos, neque vetulas, totidem mares quot fœminas. Nihil columbis fœcundius. Itaque diebus quadragenis concipit, & parit, & incubat, & educat: & hoc fere totum annum faciunt. Tantummodo interuallum faciunt a bruma ad æquinoctium vernum. Pulli naſcuntur bini, qui ſimulac creuerunt, & habent robur, cum matribus pariūt. Qui ſolent ſaginare pullos columbinos, quo pluris vendant, ſecludunt eos, cum iam pluma ſunt tecti. Deinde manducato candido farciunt pane: hieme hoc bis, æſtate ter, mane, meridie, veſperi. hieme demunt cibum medium. Qui iam pinnas incipiunt habere, relinquunt in nido illiſis cruribus, & matribus, vberius vt cibo vti poſſint, obiiciunt. Eo enim totum diem ſe, & pullos paſcunt. Qui ita educantur, celerius pinguiores fiunt quam alii, & candidiores. parentes eorum Romæ, ſi ſunt formoſi, bono colore, integri, boni ſeminis, paria ſingula vulgo veneunt ducenis numis.

nec non eximia ſingulis millibus numum, quas nuper cum mercator tanti emere vellet a L. Axio equiteRo. minoris quadringentis denariis daturum negauit. Axius, Si poſſem emere, inquit, περιστερῶνα factum, quemadmodum in ædibus cũ habere vellem, emi fictilia columbaria, iam iiſſem emptum, & miſiſſem ad villam. Quaſi vero, inquit Pica, non in vrbe quoque ſint multi. An tibi columbaria qui in tegulis habent non videntur habere περιστερῶνας, cum aliquot ſupra centum millium ſextertium habeant inſtrumentum? e queis alicuius totum emas cenſeo, & ante quam ædificas rure, magnum condiſcas hic in vrbe quotidie lucrum aſſem ſemiſſem condere in loculos.

*De Turturibus.* 8.

TVM Merula, Perge deinceps. Ille, Turturibus item, inquit, locum conſtituendum proinde magnum, ac multitudinem alere velis. Eumque item, vt de columbis dictum eſt, vt habeat oſtium, ac feneſtras, & aquam puram, ac parietes, ac camaras munitas tectorio. Sed pro columbariis in pariete mutulos, aut palos in ordinem, ſupra quos tegeticulæ cannabinæ ſint impoſitæ. Infimum ordinem oportet abeſſe a terra non minus tres pedes, inter reliquos dodrantes, a ſummo ad camaram ad ſemipedem, æque latum ac mutulus a pariete extare poteſt, in quibus dies noctesq; paſcũtur. Cibatui quod ſit, obiiciunt triticum ſiccum in centenos vicenos turtures ferre ſemodium, quotidie euerrentes eorum ſtabula, a ſtercore ne offendantur, quod item ſeruatur ad agrum colendum. Ad ſaginandum appoſitiſſimum tempus circiter meſſem. Etenim matres eorum tunc optimæ ſunt, cum pulli plurimi gignuntur, qui ad farturam meliores. Itaque eorum fructus id temporis maxime conſiſtit.

*De Gallinis.* 9.

AXIVS, Ego quæ requiro * farſuræ aſſuræ membra de palumbis, de gallinis dic ſodes Merula: tum de reliquis, ſi quid idoneũ fuerit, racemari licebit. Igitur sũt gallinæ quęvocãtur, generũ triũ, villaticæ, & ruſticæ, & africanæ. Gallinæ villaticæ ſunt, quas deinceps rure habent in villis. De his qui ὀρνιθοβοσκεῖον inſtituere volunt, iidem adhibita ſcientia, ac cura, vt capiant magnos fructus ( vt maxime factitauerunt deliaci ) hæc quinque maxime animaduertant oportet: De emptione, cuiuſmodi, & quam multas parent. De fœtura, quemadmodũ admittant, & pariant. De ouis, quemadmodũ incubent,

& excudant. De pullis, quemadmodum, & a quibus educētur. Hiſce appendix adiicitur, pars quinta, quemadmodum ſaginentur. E queis tribus generibus proprio nomine vocantur fœminæ, quæ ſunt villaticæ gallinæ, mares galli, capi ſemimares, quod ſunt caſtrati. Gallos caſtrant, vt ſint capi, candenti ferro inurentes ad infima crura, vſque dum rumpatur. at quod extat vlcus, oblinunt figlina creta. Qui ſpectat vt ὀρνιθῶν βοσκεῖον perfectum habeat, ſint licet genera ei tria paranda, maxime villaticas gallinas: e queis in parando eligat oportet fœcundas, plerunque rubicunda pluma, nigris pinnis, imparibus digitis, magnis capitibus, criſta erecta ampla. Hæ enim ad partiones ſunt aptiores. Gallos ſalaces, qui animaduertunt ſi ſunt lacertoſi, rubenti criſta, roſtro breui, pleno, acuto, oculis rauis, aut nigris, palea rubra ſubalbicanti, collo vario, aut aureolo, feminibus piloſis, cruribus breuibus, vnguibus longis, caudis magnis, frequentibus pinnis. Item qui elati ſunt, ac vociferant ſæpe, in certamine pertinaces, & qui animalia, quæ nocent gallinis, non modo non pertimeſcant, ſed etiam pro gallinis propugnent. Nec tamen ſequendum in feminio legendo, tanagricos, ac medicos, & chalcidicos, qui ſine dubio ſunt pulchri, & ad præliandum inter ſe maxime idonei, ſed ad partus ſunt ſteriliores. Si ducentas alere velis, locus ſeptus attribuendus, in quo duæ caueæ coniunctæ magnæ conſtituendæ, quæ ſpectent ad exorientem verſus, vtræque in longitudinem circiter decem pedes, latitudine dimidio minores, quā in altitudine. paulo humiliores. vtraque feneſtra lata tripedali, & eo pede altiores e viminibus factæ raris, ita vt lumen præbeant multum, neque per eas quicquam ire intro poſſit, quæ nocere ſolent gallinis. Inter duas oſtium ſit, qua gallinarius curator earum ire poſſit. In caueis crebræ perticæ traiectæ ſint, vt omnes ſuſtinere poſſint gallinas. Contra ſingulas perticas in pariete exculpta ſint cubilia earum: ante ſit (vt dixi) veſtibulum ſeptum, in quo diurno tempore eſſe poſſint, atque in puluere volutari. Præterea ſit cella grandis, in qua curator habitet, ita vt in parietibus circum omnia plena ſint cubilia gallinarum, aut exculpta, aut affixa firmiter. motus enim cum incubant nocet. In cubilibus, cum parturient, acus ſubſternēdum. cum pepererunt, tollere ſubſtramen, & recens aliud ſubiicere, quod pulices & cætera naſci ſolent, quæ gallinam conquieſcere non patiuntur; ob quam rem oua aut inæquabiliter matureſcunt, aut conſeneſcunt.. Quæ velis incubet, negāt

plus

atq; apricũ: intento ſupra rete, quod prohibeat eas extra ſepta euolare & in eas inuolare extrinſecus accipitrẽ, aut quid aliud; euitantem caldorem & frigus, quod vtrunq; his aduerſum. Cũ iam pinnas habebunt, conſuefaciendum, vt vnam aut duas ſectentur gallinas. Ceteræ vt potius ad pariendum ſint expeditę quam in nutricatu occupatæ. Incubare oportet incipere ſecundum nouam lunam, quod fere quæ ante, pleraque non ſuccedunt. Diebus fere xx excudũt. De quibus villaticis (quoniam vel nimium dictum) breuitate reliqua compenſabo. Gallinæ ruſticæ ſunt in vrbe. raræ, nec fere manſuetæ ſine cauea videntur Romæ, ſimiles facie non his villaticis gallinis noſtris, ſed africanis aſpectu, ac facie incontaminata. In ornatibus publicis ſolent poni cum pſittacis, ac merulis albis, item aliis id genus rebus inuſitatis. Neque fere in villis oua, ac pullos faciunt, ſed in ſiluis. Ab his gallinis dicitur inſula Gallinaria appellata, quæ eſt in mari Thuſco ſecundum Italiam contra montes Liguſticos, Intemelium, Albium, Ingaunum. alii ab his villaticis inuectis a nautis, ibi feris factis procreatis. Gallinę africanæ ſunt grandes, variæ, gibberæ, quas μελεαγρίδας appellant Græci. Hæ nouiſſimæ in triclinium ganearium introierunt e culina propter faſtidium hominum. Veneũt propter penuriam magno. De tribus generibus, gallinæ ſaginantur maxime villaticæ. Eas includunt in locum tepidum & anguſtum, & tenebricoſum, quod motus earum & lux pinguitudini inimica, ad hanc rem electis maximis gallinis, nec continuo his, quas melicas appellant falſo, quod antiqui vt thetin thelim dicebant, ſic medicam melicam vocabant. Hæ primo dicebantur, quia ex Media propter magnitudinem erant allatæ, quæque ex iis generatæ poſtea propter ſimilitudinem. Amplas omnes ex iis, euulſis ex alis pinnis & e cauda farciũt turundis ordeaceis partim admixtis ex farina loliacea, aut ſemine lini ex aqua dulci. Bis die cibum dant, obſeruantes ex quibuſdam ſignis, vt prior ſit concoctus, quam ſecundum dent. Dato cibo, quum perpurgarunt caput, nequos habeant pedes, rurſus eas concludunt. Hoc faciunt vſque ad dies xxv. Tunc denique pingues fiunt. Quidam ex triticeo pane intrito in aquam mixto vino bono & odorato farciunt, ita vt diebus xx pingues reddant, ac teneras. Si in farciendo nimio cibo faſtidiunt, remittendum in datione, pro portione: ac decem primis proceſſit, in poſterioribus, vt diminuat eadem ratione, vt vigeſimus dies & primus ſit par. Eodem modo palumbes

farciunt

polenta, aut ordeum apponitur, tribus proximis naſturtium viride confectum minutatim ex aqua in vas aliquod. Cum autem ſunt incluſi in haras, aut ſpeluncas, vt dixi, victui obiiciunt his polentam ordeaceam, aut farraginem, herbamue teneram aliquam conciſam. Ad ſaginandum eligunt pullos circiter ſexquimenſe qui ſunt natu: eos includunt in ſaginario ibique polentam, & pollinem aqua madefacta dant cibum, ita vt per dies ſaturent. Secundum cibum large vt bibant faciunt poteſtatem. Sic curati circiter duobus menſibus fiūt pingues. Quotieſcunquē ſumpſerunt, locus ſolet purgari: quod ipſi amant locum purum, neque ipſi vllum, vbi fuerint, relinquūt purum.

### *De anatibus.* 11.

Qvi autem volunt greges anatium habere, ac conſtituere νηϲϲοτροφεῖον, primum locum, cui eſt facultas, eligere oportet paluſtrem, quod eo maxime delectantur. ſi id non, potiſſimum ibi, vbi ſit naturalis aut lacus, aut ſtagnum, aut manufacta piſcina. quo gradatim deſcendere poſſint. Septum altum eſſe oportet vbi verſentur, ad pedes xv, vt vidiſtis ad villam Sei, quod vno oſtio claudatur. circum totum parietem intrinſecus crepido lata, in qua ſecundum parietem ſint tecta cubilia, ante eas veſtibulum earum exæquatum tectorio opere teſtaceo. In eo perpetua canalis, in quam & cibus ponitur iis, & immittitur aqua. ſic enim cibum capiunt. Omnes parietes tectorio læuigantur, ne fæles, aliaue quæ beſtia introire ad nocendum poſſit. idque ſeptum tutum rete grandibus maculis integitur, ne eo inuolare aquila poſſit, neue ex ea euolare anas. Pabulum iis datur triticum, ordeum, vinacei, vuæ, nonnunquam etiam ex aqua cammari, & quædam eiuſmodi aquatilia. Quæ in eo ſepto erunt piſcinæ, in eas aquam large influere oportet, vt ſemper recens ſit. Sunt item non diſſimilia alia genera, vt querquedulæ, phalarides, ſic perdices, quæ, vt Archelaus ſcribit, voce maris audita, concipiunt. Quæ, vt ſuperiores, neque propter fœcunditatem, neque propter ſuauitatem ſaginantur, ſed ſic paſcendo fiunt pingues. Quod ad villaticarum paſtionum primum actum pertinere ſum ratus, dixi.

### *De leporibus.* 12.

Interea redit Appius, & percunctati nos ab illo, & ille a nobis, quid eſſet dictum ac factum, Appius, Sequitur inquit, actus ſecundi generis, affiĉticius ad villam qui ſolet eſſe, ac no-

te habere puto, & quod in Hiſpania annis ita fuiſti multis, vt inde te cuniculos perſecutos credam.

*De Apris.* 13.

APROS quidem poſſe habere in leporario, nec magno negotio ibi & captiuos, & cicures, qui ibi nati ſint, pingues ſolere fieri, ſcis inquam Axi. Nam quem fundum in Tuſculano emit hic Varro a M. Pupio Piſone, vidiſti ad bucinam inflatam certo tempore apros & capreas conuenire ad pabulum, cum e ſuperiore loco e palæſtra apris effunderetur glans, capreis vicia, aut quid aliud. Ego vero, inquit ille, apud Q. Hortenſium cum in agro Laurenti eſſem, ibi iſtuc magis τραγικῶς fieri vidi. Nam ſilua erat (vt dicebat) ſupra quinquaginta iugerum maceria ſepta, quod non leporarium, ſed θηριοτροφεῖον appellabat. Ibi erat locus excelſus, vbi triclinio poſito cœnabamus. Quintus Orphea vocari iuſſit. qui cum eo veniſſet cũ ſtola, & cithara, & cantare eſſet iuſſus, buccinam inflauit, vbi tanta circumfluxit nos ceruorum, aprorum, & cæterarũ quadrupedum multitudo, vt non minus formoſum mihi viſum ſit ſpectaculum, quam in circo maximo ædilium ſine africanis beſtiis cum fiunt venationes.

*De Cocleis.* 14.

AXIVS, Tuas partes (inquit) ſubleuauit Appius o Merula noſter. Quod ad venationem pertinet, breuiter ſecundus tranſactus eſt actus. Nec de cocleis, ac gliribus quæro, quod reliquum eſt. neque enim magnum emolumentum eſſe poteſt. Non iſtuc tam ſimplex eſt, inquit Appius, quam tu putas o Axi noſter. nam & idoneus ſub dio ſumendus locus cocleariis, quem circum totum aqua claudas, ne quas ibi poſueris ad partum, non liberos earum, ſed ipſas quæras. Aqua inquam finiendæ, ne fugitiuarius ſit parandus. Locus is melior, quem & non coquit ſol, & tangit ros. Qui ſi naturalis non eſt (vt fere non ſunt in aprico loco) neque habeas in opaco, vt facias, vt ſunt ſub rupibus ac montibus, quorum alluant radices lacus ac fluuii, manu facere oportet roſcidum: qui fit, ſi eduxeris fiſtulam, & in eam mammillas impoſueris tenues, quæ eructent aquam, ita vt in aliquem lapidem incidat, ac late diſſipetur. Paruus iis cibus opus eſt, & is ſine miniſtratore. Et hũc, dum ſerpit, non ſolum in area reperit, ſed etiam ſi riuus non prohibet, in parietes ſtantes inuenit. Denique ipſæ exgruminantes ad propalam vitam diu producunt, cum ad eam rem pauca laurea ſolia interiiciant, & aſpergãt furfures nõ multos.

Itaque

noſſe quam te, vt ſcias, de incredibili earum auium natura audi. Merula, vt cætera fecit, ἱστορικῶς, quæ ſequi melitturgi ſoleant, demonſtrabit. Primum apes naſcuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait eas eſſe

—βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα. dem,

ἵππων μὲν σφῆκες γενεὰ, μόσχων δὲ μέλισσαι.

Hæ apes non ſunt ſolitaria natura, vt aquilæ, ſed vt homines. Quod ſi hoc faciunt etiam graculi, at non idem: quod hic, ſocietas operis, & ædificiorum, quod illic non eſt. Hic ratio atque ars, ab his opus facere diſcunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere. Tria enim harum, cibus, domus, opus, neque idem quod cibus cera, nec quod ea mel, nec quod mel domus: non in fauo ſexangulis cella? totidem, quot habet ipſa pedes (quod geometræ ἑξάγωνον fieri in orbi rotundo oſtendũt) vt plurimum loci includatur. Foris paſcuntur, intus opus faciunt: quod, dulciſſimum quod eſt, & diis & hominibus eſt acceptum: quod fauus venit in altaria, & mel ad principia conuiuii, & in ſecundam menſam adminiſtratur. Hæ vt hominũ ciuitates, quod hic eſt & rex, & imperium, & ſocietas, quod ſequuntur omnia pura. Itaque nulla harum aſſidit in loco inquinato, aut eo qui male oleat, neque etiam in eo qui bona olet vnguenta: itaque his vnctus qui acceſſit, pungunt. Non vt muſcæ liguriunt, quod nemo has videt (vt illas) in carne, aut ſanguine, aut adipe. Ideo modo conſidunt in quo eſt ſapor dulcis. Minime malefica, quod nullius opus vellicans facit deterius. Neque ignaua, vt non, qui eius opus conetur diſturbare, reſiſtat. Neque tamen neſcia ſuæ imbecillitatis: quæ cum cauſa muſarum eſſe dicantur volucres, quod & ſiquando diſplicatæ ſunt, cymbalis, & plauſibus, numero reducunt in locũ vnum. Et vt his diis Helicona atque Olympon attribuerunt homines, ſic his floridos & incultos natura attribuit montes. Regem ſuum ſequuntur quocunque it, & feſſum ſubleuant: & ſi nequit volare, ſuccollant, quod eum ſeruare volunt. Neque ipſæ ſunt inficientes, necnon oderunt inertes. Itaque inſectantes a ſe eiiciunt fucos, quod hi neque adiuuant, & mel conſumunt: quos vocificantes plures perſequuntur, etiã paucæ. Extra oſtium aluei obturant omnia, qua venit inter fauos ſpiritus, quam ἐριθάκην appellant Græci. Omnes vt in exercitu viuunt, atque alternis dormiunt, & opus faciunt pariter, & vt colonias mittunt. Hique duces conficiunt quædam ad vocem

vt

in vaſto loco, & inani deſpondeant animum. hæc omnia vocant a mellis alimonio, aluos: quas ideo videntur medias facere anguſtiſſimas, vt figuram imitentur earum. Vitiles fimo bubulo oblinunt intus, & extra, ne aſperitate abſterreantur. easque aluos ita collocant in mutulis parietis, vt ne agitentur, neue inter ſe contingant. Cum in ordinem ſint poſitæ, ſic interuallo interpoſito, alterum & tertium ordinem infra faciunt, & aiunt potius hinc demi oportere, quam addi quartum. Media aluo, in qua introeant apes, faciunt foramina parua dextra, ac ſiniſtra. Ad extrema, qua mellarii fauum eximere poſſunt, opercula imponunt aluis. Optimæ fiunt corticeæ, deterrimę fictiles, quod & frigore hieme, & æſtate calore vehementiſſime hic commouentur. Verno tempore, & æſtiuo fere ter in menſe mellarius inſpicere debet fumigans leuiter eas, & a ſpurcitiis purgare aluum, & vermiculos eiicere. ¶ Præterea vt animaduertat, ne reguli plures exiſtant: inutiles enim fiunt propter ſeditiones. &, vt quidam dicunt, tria genera cum ſint ducum in apibus, niger, ruber, varius (vt Menecrates ſcribit) duo, niger, & varius, qui ita melior, vt expediat mellario, cum duo ſint eadem aluo, interficere nigrum, quem ſcit cum altero rege eſſe ſeditioſum, & corrumpere aluum, quod fuget, aut cum multitudine fugetur. De reliquis apibus optima eſt parua, varia, rotunda. Fur, qui vocatur ab aliis fucus, alter eſt lato ventre. Veſpa, quæ ſimilitudinem habet apis, neque ſocia eſt operis, & nocere ſolet morſu, quam apes a ſe ſecernunt. Eæ differunt inter ſe, quæ feræ, & cicures ſunt. Nunc feras dico, quæ in ſilueſtribus locis paſcitant: cicures, quæ in cultis. Silueſtres minores ſunt magnitudine, & piloſæ, ſed opifices magis. In emendo emptorem videre oportet valeant, an ſint ægræ. Sanitatis ſigna, ſi ſunt frequentes in examine, & ſi nitidæ: & ſi opus, quod faciunt, eſt æquabile, ac leue. Minus valentium ſigna ſi ſunt piloſæ, & horridæ, vt puluerulentæ, niſi opificii eas vrget tempus. Tum enim propter laborem aſperantur, ac maceſcunt. Si transferendæ ſunt alui in alium locum, id facere diligenter oportet: & tempora, quibus id potiſſimum facias, animaduertendum. & loca, quo transferas, idonea prouidendum. Tempora, vt verno potius quam hiberno, quod hieme difficulter cōſueſcūt, quo ſunt tranſlatæ, manere: itaque fugiunt plerunque. Si e bono loco tranſtuleris eo, vbi idonea pabulatio non eſt, fugitiuę fiunt. Nec ſi ex aluo in aluū

ponunt. Alii aquam mulſam in vaſculis prope vt ſit curant. In quæ addunt lanam purpuream, per quam ſugant: vno tempore ne potu nimium impleantur, aut ne incidant in aquam. Singula vaſa ponunt ad aluos ſingulas, & hac supplẽtur. Alii vuam paſſam, & ficum, cum pinſerunt, affundunt ſapam, atque ex eo factas offas apponunt ibi, quum foras hieme in pabulum procedere tamen poſſint. Cum examen exiturum eſt, quod fieri ſolet, cum adnatæ proſpere ſunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, vt olim crebro Sabini factitauerunt propter multitudinem liberorum, huius quod duo ſolent præire ſigna, ſcitur. Vnum, quod ſuperioribus diebus maxime veſpertinis multæ ante foramen (vt vuæ) aliæ ex aliis pendent conglobatæ. Alterum, quod cum iam euolaturæ ſunt, aut etiam inceperunt, conſonant vehementer, proinde vt milites faciunt, cum caſtra mouent. quæ primo tum exierunt in conſpectu volitant, reliquas quæ nondum congregatæ ſunt reſpectantes, dum conueniant. Cum a mellario id feciſſe ſunt animaduerſæ, iaciundo in eas puluerem, & circumtinniendo ære, perterritas quo voluerit perducet. Non longe inde oblinunt erithace, atque apiaſtro, cæteriſque rebus, quibus delectantur. Vbi conſederunt, afferunt aluum prope eisdem illiciis illitam intus: & prope appoſita, fumo leni circumeundo cogunt eas intrare: vt quæ in nouam coloniam cum introierũt, permanent adeo libenter, vt etiam ſi proximam poſueris illã aluum, vnde exierunt, tamen nouo domicilio potius ſint contentæ. Quod ad paſtiones pertinere ſum ratus, quoniam dixi nunc iam cuius cauſa adhibetur ea cura, de fructu dicam. * Eximendorum fauorum ſignum ſumunt ex ipſis, cum plenas aluos habent, & cum illos geminauerint. ex apibus coniecturam capiunt ſi intus faciunt bombum, & cum introeunt, ac foras trepidant, & ſi opercula alui cum remota ſint, fauorum foramina obducta videntur mellis membranis. Cum ſint repleti melle, in eximendo quidam dicunt oportere nouem partes tollere, decimam relinquere. Quod ſi omne eximas, fore vt diſcedant. Alii hoc plus relinquunt, quam dixi. vt in aratis qui faciunt reſtibiles ſegetes, plus tollunt frumenti ex interuallis: ſic in aluis, ſi non quotannis eximas, aut non quoque multum, & magis his aſſiduas habeas apes, & magis fructuoſas. Eximendorum fauorum primum putant eſſe tempus vergiliarum exortu. Secundum æſtate

noſtris villaticis miniſtrant. Illæ autem maritimæ piſcinæ nobilium quibus Neptunus, vt aquam, ſic & piſces miniſtrat, magis ad oculos pertinent, quam ad veſicam, & potius marſupium domini exinaniunt, quam implent. Primum enim ædificantur magno, ſecundo implentur magno, tertio aluntur magno. Hirrius circum piſcinas ſuas, ex ædificiis duodena millia ſeſtertia capiebat. Eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat. Non mirum. vno tempore enim memini hunc Cæſari duo milia murænarum mutua dediſſe in pondus, & propter piſcium multitudinem quadragies ſeſtertio villam veniſſe. Quare noſtra piſcina ac mediterranea plebeia recte dicitur dulcis, & illa amara. Quis enim noſtrum non vna contentus eſt hac piſcina? Quis contra maritimas nõ ex piſcinis ſingulis plures cõiunctas habet? Pluriſnam vt Pauſias, & cæteri pictores eiuſdem generis, loculatas magnas habent arculas, vbi diſcolores ſint ceræ, ſic hi loculatas habent piſcinas, vbi diſpares diſcluſos habeant piſces, quos proinde vt ſacri ſint, ac ſanctiores quam illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi Varro ad tibicinem Græcũ gregatim veniſſe dicebas ad extremum litus, atque aram, quod eos capere auderet nemo, cum eodem tempore inſulas Ludinorum ibi corroſas vidiſſes. Sic hos piſces nemo cocus in ius vocare audet. Q. Hortẽſius familiaris noſter cum piſcinas haberet magna pecunia ædificatas ad Baulos, ita ſæpe cum eo ad villam fui, vt illum ſciam ſemper in cœnam piſces Puteolos mittere emptum ſolitum. Neque ſatis erat eum non paſci piſcinis, niſi eos ipſe paſceret vltro; ac maiorem curam ſibi haberet, ne eius eſurirẽt mulli, quam ego habeo, ne mei in Roſea eſuriant aſini. & quidem vtraque re, & cibo, & potione, cum non paulo ſumptuoſius, quam ego his miniſtraret victum. Ego enim vno ſeruulo, ordeo non multo, aqua domeſtica, meos multinumos alo aſinos. Hortenſius primum qui miniſtrarent piſcatores habebat complures, & ij piſciculos minutos aggerebant frequenter, vt a maioribus abſumerentur. Præterea ſalſamenta in eas piſcinas emptitia coniiciebat, cum mare turbaretur, vti per tempeſtatem ſuis piſcibus e macello cetariorum vti e mari obſonium præberet, cum neque euerriculo illi in litus educere poſſent viuam ſaginam plebeiæ cœnæ piſces. Celerius voluntate Hortenſii ex equili educeres rhedarias, vt tibi haberes mulas, quam e piſcina barbatum mullum. At, inquit ille, non minor cura eius erat de ægrotis piſcibus, quam de minus valentibus

tibus

tiorũm officinas, guloſius condiendi cibos, & luxurioſius fercula ſtruendi; capitumq; & capillorũ concinnatores nõ ſolum eſſe audiui, ſed & ipſe vidi. Agricolationis neque doctores, qui ſe profiterentur, neque diſcipulos cognoui. Cum etiam ſi prædictarum artium profeſſoribus ciuitas egeret, tamen, ſicut apud priſcos, florere poſſet Reſpub. Nã ſine ludicris artibus, atque etiam ſine cauſidicis olim ſatis felices fuere, futuræq; ſunt vrbes. At ſine agricultoribus nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe manifeſtum eſt. Quo magis prodigii ſimile eſt, quod accidit, vt res corporibus noſtris, vitæque vtilitati maxime conueniens, minimam vſque in hoc tempus conſumationem haberet: idque ſperneretur genus amplificandi retinendique patrimonii, quod omni crimine caret. Nam cætera diuerſa, & quaſi repugnantia, diſſident a iuſtitia. Niſi æquius exiſtimamus cepiſſe prædam ex militia, quæ nobis nihil ſine ſanguine & cladibus alienis affert. An bellum peroſis, maris & negotiationis alea ſit optabilior, vt rupto naturæ fœdere terreſtre animal homo, ventorum, & maris obiectus iræ, ſe fluctibus audeat credere, ſemperque ritu volucrum, longinqui littoris peregrinus, ignotum pererret orbem? An fœneratio probabilior ſit, etiam his inuiſa quibus ſuccurrere videtur? Sed ne caninum quidem, ſicut dixere veteres, ſtudium præſtantius, locupletiſſimum quẽque adlatrandi, & contra innocentes, ac pro nocentibus neglectum a maioribus, a nobis etiam conceſſum intra mœnia & in ipſo foro latrociniũ? An honeſtius duxerim mercena[illegible] ſalutatoris mẽdaciſſimum aucupiũ circumuolitãtis limina potentiorũ, ſomniumq; regis ſui rumoribus inaugurantis? neq; enim roganti, quid agatur intus, reſpõdere ſerui dignantur. An putem fortunatius a catenato repulſum ianitore ſæpe nocte ſera foribus ingratis adiacere, miſerrimoque famulatu per dedecus, faſcium decus, & imperium, profuſo tamen patrimonio, mercari? Nam nec gratuitę ſeruituti, ſed donis rependitur honor: quæ ſi & ipſa, & eorum ſimilia bonis fugienda ſunt, ſupereſt (vt dixi) vnum genus liberale, & ingenuum rei familiaris augendæ, quod ex agricolatione cõtingit. Cuius præcepta ſi vel temere ab indoctis, dum tamen agrorũ poſſeſſoribus, antiquo more adminiſtrarentur, minus iacturę paterentur res ruſticæ. nã induſtria dominorum cum ignorãtiæ detrimentis multa penſaret. Nec quorum cõmodum ageretur, tota vita vellent imprudentes negotii ſui cõſpici, eoque diſcendi cupidiores agricolationem pernoſcerent. Nunc & ipſi

prędia

Digitized by Google

ribus exercitata, firmiſſimis præualuit corporibus, ac militiam belli, cum res poſtulauit, facile ſuſtinuit, durata pacis laboribus, ſemperque ruſticam plebem præpoſuit vrbanæ. Vt enim qui in villis intra conſepta morarentur, quam qui foris terram molirentur, ignauiores habitos: ſic eos qui ſub vmbra ciuitatis intra mœnia deſides cunctarentur, quam qui rura colerent adminiſtrarẽtue opera colonorum, ſegniores viſos. Nundinarum etiam conuentus manifeſtum eſt propterea vſurpatos, vt nonis tantummodo diebus vrbanæ res agerentur, reliquis adminiſtrarentur ruſticæ. illis enim temporibus, vt ante iam diximus, proceres ciuitatis in agris morabantur: & cum conſilium publicum deſiderabatur, a villis arceſſebantur in ſenatum. Ex quo qui eos euocabant, Viatores nominati ſunt: iſque mos dum ſeruatus eſt perſeuerantiſſimo colendorum agrorum ſtudio, veteres illi Sabini Quirites, atauique Romani, quanquam inter ferrum & ignes, hoſticiſque incurſionibus vaſtatæ fruges: largius tamen condidere, quam nos, quibus diuturna permittente pace prolatare licuit rem ruſticam. Itaque in hoc Latio & Saturnia terra, vbi dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerãt, ibi nunc ad haſtam locamus, vt nobis ex tranſmarinis prouinciis aduehatur frumentum, ne fame laboremus: & vindemias condimus ex inſulis Cycladibus, ac regionibus Bæticis, Galliciſque. Nec mirum, cum ſit publice concepta, & confirmata iam vulgaris exiſtimatio, rem ruſticã ſordidum opus, & id eſſe negotium, quod nullius egeat magiſterio præceptoris. At ego, cum aut magnitudinem totius rei, quaſi quandam vaſtitatem corporis, aut partium eius, velut ſingulorum membrorum numerum recenſeo, vereor ne ſupremus ante me dies occupet, quam vniuerſam diſciplinam ruris poſſim cognoſcere. Nam qui ſe in hac ſcientia perfectum volet profiteri, ſit oportet rerum naturæ ſagaciſſimus, declinationum mundi non ignarus: vt exploratum habeat, quid cuique plagæ conueniat, quid repugnet: ſyderum ortus & occaſus memoria repetat, ne imbribus ventiſque imminentibus opera inchoet, laboremque fruſtretur. Cæli & anni præſentes mores intueatur. neque enim ſemper eundem, velut ex præſcripto, habitum gerunt: nec omnibus annis eodem vultu venit æſtas, aut hyems: nec pluuium ſemper eſt ver, aut humidus autumnus. quæ prænoſcere ſine lumine animi, & ſine exquiſitiſſimis diſciplinis non quenquam poſſe crediderim. Iam ipſa terræ varietas, & cuiuſque ſoli habitus, quid nobis

neget.

Nec ſi vel illa præſtantis ingenii vis, vel inclytarum artium defecerit inſtrumentum, confeſtim debemus ad otium & inertiam deuolui: ſed quod ſapienter ſperauimus, perſeueranter conſectari. Summum enim culmen affectantes, ſatis honeſte vel in ſecundo faſtigio conſpiciemur. An Latiæ muſæ non ſolos adytis ſuis Accium & Virgilium recepere, ſed eorum & proximis & procul a ſecundis ſacras conceſſere ſedes? Nec Brutum, aut Cælium, Pollionemue cum Meſſala & Catulo deterruere ab eloquentiæ ſtudio fulmina illa Ciceronis. Nam neque ille ipſe Cicero territus ceſſerat tonãtibus Demoſtheni Platonique: nec parens eloquentiæ deus ille Mæonius vaſtiſſimis fluminibus facundiæ ſuæ poſteritatis ſtudia reſtinxerat. An ne minoris quidem famæ opifices per tot iam ſecula videmus laborem ſuum deſtituiſſe, qui Protogenem, Apellemque cum Parrhaſio mirati ſunt? Nec pulchritudine Iouis Olympii Mineruęque Phidiacæ ſequentis ætatis attonitos piguit experiri Bryaxim, Lyſippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere, aut quouſque progredi poſſent. Sed in omni genere ſcientiæ & ſummis admiratio veneratioque, & inferioribus merita laus contingit. Accedit huc, quod ille, quem nos perfectum eſſe volumus agricolam, ſi quidem artis conſumatæ non ſit, nec in vniuerſa rerum natura ſagacitatem Democriti, vel Pythagoræ non fuerit conſecutus, & in motibus aſtrorum ventorumque Metonis prouidentiam, vel Eudoxi: & in pecoris cultu doctrinam Chironis ac Melampodis, & in agrorum ſolique molitione Triptolemi aut Ariſtei prudentiam: multum tamen profecerit, ſi vſu Tremellios, Saſernaſque & Stolones noſtros æquauerit. Poteſt enim nec ſubtiliſſima, nec rurſus, quod aiunt, pingui Minerua res agreſtis adminiſtrari. Nam illud procul vero eſt, quod plerique crediderunt, facillimam eſſe nec vllius acuminis ruſticationem. De cuius vniuerſitate nihil attinet plura nunc diſſerere: quandoquidem cunctæ partes eius deſtinatis aliquot voluminibus explicandæ ſunt, quas ordine ſuo tunc demum perſequar, cum præfatus fuero quæ reor ad vniuerſam diſciplinam maxime pertinere.

*Præcepta quæ ſequantur qui ruſticari velint.* I.

QVI ſtudium agricolationi dederit, antiquiſſima ſciat hæc ſibi aduocanda, prudentiam rei, facultatem impendendi, voluntatem agendi. Nam is demum cultiſſimũ rus habebit, vt ait Tremellius, qui & colere ſciet, & poterit, & volet. neque

enim

& Attalus. Athenæ vero ſcriptorum frequentiam pepererunt, e queis probatiſſimi auctores Chereas, Ariſtandros, Amphilochus, Euphron: Chreſtus Euphronis, non, vt multi putant, Amphipolites, qui & ipſe laudabilis habetur agricola, ſed indigena ſoli Attici. Inſulæ quoque curam iſtam celebrauerunt, vt teſtis eſt Rhodius Epigenes, Chius Agathocles, Euagon, & Anaxipolis Thaſii. Vnius quoque de ſeptem Biantis illius populares Menander & Diodorus in primis ſibi vendicauerunt agricolationis prudentiam. Nec his ceſſere Mileſii Bacchius & Mnaſſeas, Antigonus Cymæus, Pergamenus Apollonius, Dion Colophonius, Hegeſias Maronites. Nam quidem Diophanes Bithynius Vticenſem totum Dionyſium Pœni Magonis interpretem per multa diffuſum volumina, ſex epitomis circunſcripſit. Et alii tamen obſcuriores, quorum patrias non accepimus, aliquod ſtipendiũ noſtro ſtudio contulerunt. Hi ſunt Androtion, Æſchrion, Ariſtomenes, Athenagoras, Crates, Dadis, Dionyſius, Euphyton, Euphorion. Nec minori fide pro virili parte tributum nobis intulerunt Lyſimachus, & Cleobulus, Meneſtratus, Pleutiphanes, Perſis, Theophilus. Et vt agricolationem Romana tãdem ciuitate donemus (nam adhuc iſtis auctoribus Græcæ gẽtis fuit) iam nunc M. Catonẽ Cenſorium illum memoremus, qui eam Latine loqui primus inſtituit. poſt hunc duos Saſernas patrem & filium, qui eam diligentius erudierunt: ac deinde Scrofam Tremellium, qui eam eloquentem reddidit: & M. Terentium, qui expoliuit: mox Virgilium, qui carmine quoque potentem fecit. Nec poſtremo quaſi pędagogi eius meminiſſe dedignemur Iulii Higinii: veruntamen vt Carthaginienſem Magonem ruſticationis parentem maxime veneremur. Nam huius octo & viginti memorabilia illa volumina ex ſenatuſconſulto in Latinum ſermonem conuerſa ſunt. Non minorem tamen laudem meruerunt noſtrorũ temporum viri Cornelius Celſus, & Iulius Atticus. quippe Cornelius totum corpus diſciplinæ quinque libris complexus eſt. Hic de vna ſpecie culturæ pertinentis ad vites, ſingularem librum edidit. Cuius velut diſcipulus duo volumina ſimilium præceptorum de vineis Iulius Græcinus cõpoſita facetius, & eruditius poſteritati tradẽda curauit. Hos igitur Publi Siluine prius quam cum agricolatione contrahas, aduocato in conſilium: nec tamen ſic mente diſpoſitus velut ſummam totius rei ſententiis eorũ conſecuturus: quippe eiuſmodi ſcriptorum monumenta magis inſtruunt, quam faciũt,

artifi-

artificem. Vſus & experientia dominantur in artibus: neque eſt vlla diſciplina, in qua non peccando diſcatur. nam vbi quid perperam adminiſtratum ceſſerit improſpere, vitatur quod fefellerat: illuminatque rectam viam docentis magiſterium. Quare noſtra præcepta non conſumare ſcientiam, ſed adiuuare promittunt. nec ſtatim quiſquam compos agricolationis erit his perlectis rationibus: niſi & obire eas voluerit, & per facultates potuerit. Ideoque hæc velut adminicula ſtudioſis promittimus, non profutura per ſe ſola, ſed cum aliis. Ac ne iſta quidem prædia, vt diximus, non aſſiduus labor, & experientia villici, non facultates, ac voluntas impendendi tantum pollent, quantum vel vna præſentia domini: quæ niſi frequẽs operibus interuenerit, vt in exercitu cum abeſt imperator, cuncta ceſſant officia: maximeque reor hoc ſignificantem Pœnum Magonem, ſuorum ſcriptorum primordium talibus auſpicatum ſententiis: Qui agrum parabit, domum vendat, ne malit vrbanum, quam ruſticum larem colere. cui magis cordi fuerit vrbanum domicilium, ruſtico prædio non erit opus. Quod ego præceptum, ſi poſſet his temporibus obſeruari, non immutarem. Nunc quoniam pleroſque noſtrum ciuilis ambitio ſępe euocat, ac ſępius detinet euocatos, ſequitur vt ſuburbanum prædium commodiſſimum eſſe putem, quo vt occupato quotidianus excurſus facile poſt negotia fori contingat. Nam qui longinqua, ne dicam transmarina rura mercantur, velut hæredibus patrimonio ſuo, & quod grauius eſt, viui cedunt ſeruis ſuis: quoniam quidem & illi tam longa dominorum diſtantia corrumpuntur, & corrupti poſt flagitia, quæ commiſerunt, ſub expectatione ſucceſſorum, rapinis magis, quam culturæ ſtudent.

*Qualiter diſpoſitus fundus maxime probetur.* 2.

CENSEO igitur in propinquo agrum mercari, quo & frequenter dominus veniat, & frequentius ſe venturũ, quam ſit venturus, denuntiet. ſub hoc enim metu cum familia villicus erit in officio. Quicquid vero dabitur occaſionis ruri moretur, quę nõ ſit mora ſegnis, nec vmbratilis. nã diligentem patremfamilias decet agri ſui particulas omnes & omni tempore anni frequentius circumire, quo prudentius naturam ſoli, ſiue in frondibus, & herbis, ſiue iam maturis frugibus cõtempletur: nec ignoret quicquid in eo recte fieri poterit. Nam illud vetus eſt, & Catonis, Agrum peſſime multari, cuius dominus quid in eo faciundũ ſit, nõ docet, ſed audit villicũ. Quapropter

vel a maioribus traditum poſſidenti, vel empturo fundū præcipua cura ſit ſcire, quod maxime regionis genus probetur: vt vel careat inutili, vel mercetur laudabilem. Quod ſi voto fortuna ſubſcripſerit, agrum habebimus ſalubri cælo, vberi glæba, parte campeſtri: parte alia collibus vel ad orientem vel ad meridiem molliter deuexis, terreniſque, aliis cultis, atque aliis ſylueſtribus & aſperis, nec procul a mari, aut nauigabili flumine, quo deportari fructus, & per quod merces inuehi poſſint. Campus in prata & arua, ſalictaque & arundineta digeſtus, ædificio ſubiaceat. Colles alii vacui arboribus, vt ſolis ſegetibus ſeruiant. quæ tamē modice ſiccis, ac pinguibus campis melius, quam pręcipitibus locis proueniūt. Ideoque etiam celſiores agri frumētarii planicies habere, & quammolliſſime deuexi, ac ſimillimi debent eſſe campeſtri poſitioni. Alii deinde colles oliuetis, vinetiſque & earum futuris pedamentis veſtiantur: materiam, lapidemque, ſi neceſſitas ædificandi coegerit; nec minus pecudibus paſcua præbere poſſint. Tum riuos decurrentes in prata, & hortos, & ſalicta, viuæ aquæ ſalientes demittant, nec abſint greges armentorum, cæterorumque quadrupedum culta & dumeta paſcentium. ſed hæc poſitio, quam deſideramus, difficilis & rara paucis contingit. Proxima eſt huic, quę plurima ex his habet: tolerabilis, quæ non pauciſſima.

*Quæ præcipue reſpiciendo agro, ante, quam ematur, notanda ſunt.* 3.

PORCIVS quidem Cato cenſebat in emēdo inſpiciendoque agro præcipue duo eſſe conſideranda, ſalubritatem cæli, & vbertatem loci: quorum ſi alterum deeſſet, ac nihilo minus quis vellet incolere, r[illegible]ente eſſe captum, atque eum ad agnatos & gentiles ded[illegible]um. Neminem enim ſanum debere facere ſumptus in cu[illegible]ra ſterilis ſoli: nec rurſus peſtilēti quāuis feraciſſimo pinguique agro dominum ad fructus peruenire. Nam vbi ſit cum orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuū, ſed & vitā colonorum eſſe dubiā, vel potius mortem quęſtu certiorem. Poſt hæc duo principalia, ſubiungebat illa non minus intuenda, viā, & aquam, & vicinum. Multum conferre agris iter commodum: primum quod eſt maximum, ipſam præſentiam domini, qui libentius cōmeaturus ſit, ſi vexationem vię non reformidet. deinde ad vehēda & exportāda vtenſilia: quę res frugibus conditis auget pretiū, & minuit impenſas rerū inuectarū: quia minoris apportentur

eo quo facili niſu perueniatur. Nec non nihil eſſe etiam paruo vehi, ſi conductis iumentis iter facias, quod magis expedit, quam tueri propria. Seruos quoque qui ſecuturi patremfamilias ſint, non ægre iter pedibus ingredi. De bonitate aquæ ita omnibus clarum eſt, vt pluribus non ſit diſſerendum. Quis enim dubitet eam maxime probatā haberi, ſine qua nemo noſtrum vel proſperæ, vel aduerſæ valetudinis vitā proroget? De vicini commodo nō eſt quidem certum, quem nonnunquam mors, aliæque nobiſcum diuerſæ cauſæ mutant. Et ideo quidam reſpuunt Catonis ſentētiam: qui tamen multum videntur errare. nam quemadmodum ſapientis eſt, fortuitos caſus magno animo ſuſtinere, ita dementis eſt, ipſum ſibi malam facere fortunam: quod facit, qui nequam vicinum ſuis numis parat, cum a primis cunabulis, ſi modo liberis parentibus eſt oriundus, audiſſe potuerit,

Οὐδ᾽ ἂν βοῦς ἀπόλοιτ᾽ εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

quod non ſolum de boue dicitur, ſed etiam de omnibus partibus rei noſtræ familiaris: adeo quidē vt multi prætulerint carere penatibus, & propter iniurias vicinorum ſedes ſuas profugerint. niſi aliter exiſtimamus diuerſum orbem gentes vniuerſas petiiſſe, relicto patrio ſolo, Achæos dico, & Hiberos, Albanos quoq;, nec minus Siculos: &, vt primordia noſtra contingam, Pelaſgos, Aborigines, Arcadas, quam quia malos vicinos ferre non potuerāt. Ac ne tantum de publicis calamitatibus loquar, priuatos quoq; memoria tradidit, & in regionibus Græcię, & in hac ipſa Heſperia deteſtabiles fuiſſe vicinos: niſi Autolycus ille cuiquā potuit tolerabilis eſſe conterminus: aut Auentini montis incola Palatinis vllum gaudiū finitimis ſuis Cacus attulit. Malo enim pręteritorum, quam præſentiū meminiſſe, ne vicinum meum nominē, qui nec arborem prolixiorem ſtare noſtrę regionis, nec inuiolatū ſeminarium, nec pedamenti quicquam adnexum vineæ, nec etiam pecudes negligentius paſci ſinit. Iure igitur, quantum mea fert opinio, M. Porcius talem peſtem vitare cenſuit. Et in primis futurum agricolam præmonuit, ne ſua ſponte ad eam perueniret. Nos ad cætera præcepta illud adiicimus, quod ſapiens vnus de ſeptem in perpetuum poſteritati pronuntiauit, μέτρον ἄριστον, adhibendum modum menſuramq; rebus; idque, vt nō ſolum aliud acturis, ſed & agrum paraturis dictum intelligatur, ne maiorem quam ratio calculorum patiatur, emere velit. nam huc pertinet præclara noſtri poetæ ſententia,

*-laudato ingentia rura,* *Exiguum colito.*

Quod vir eruditiſſimus, vt mea fert opinio, traditum vetus præceptum numeris ſignauit: quippe acutiſſimã gentem Pœnos dixiſſe conuenit, Imbecilliorẽ agrum, quam agricolam eſſe debere: quoniã cum ſit colluctãdum cum eo, ſi fundus præualeat, allidi dominum. Nec dubium quin minus reddat laxus ager non recte cultus, quam anguſtus eximie. Ideoque poſt reges exactos Liciniana illa ſeptena iugera, quæ plebis trib. viritim diuiſerat, maiores quæſtus antiquis retulere, quam nunc nobis præbent ampliſſima vetereta. tanta quidẽ Curius Dentatus, quem paulo ante retulimus, proſpero ductu parta victoria ob eximiam virtutem deferente populo prẹmii nomine quinquaginta ſoli iugera, ſupra conſularem, triumphalemque fortunam putauit eſſe: repudiatoque publico munere populari, hac plebeia menſura contentus fuit. Mox etiam cum agrorum vaſtitatem victoriæ noſtræ, & interniciones hoſtium feciſſent, criminoſum tamen ſenatori fuit ſupra quinquaginta iugera poſſediſſe. Suaque lege C. Licinius damnatus eſt, quod agri modum, quem in magiſtratu rogatione tribunitia promulgauerat, immodica poſſidendi libidine tranſcendiſſet: nec magis quia ſuperbum videbatur tantum loci detinere, quam quia flagitioſum, quos hoſtis profugiendo deſolaſſet agros, nouo more ciuem Romanum ſupra vires patrimonii poſſidendo deſerere. Modus ergo qui in omnibus rebus, etiam parandis agris adhibebitur: tantum enim obtinendum eſt, quanto eſt opus, vt emiſſe videamur quo poti remur, non quo oneraremur ipſi, atque aliis fruendum eriperemus, more præpotentium, qui poſſident fines Gentium, quos ne circumire equis quidem valent, ſed proculcandos pecudibus, & vaſtandos, ac populandos feris derelinquunt, aut occupatos nexu* ciuium, & ergaſtulis tenent. Modus autem erit ſua cuique moderata voluntas, facultaſque. Neque enim ſatis eſt, vt iam prius dixi, poſſidere velle, ſi colere non poſſis.

*De ſalubritate regionum.* 4.

SEQVITVR deinceps Cæſonianum præceptum, quo fertur vſus etiam Cato, mercaturis agrum eſſe reuiſendũ ſæpius eum, quem velint mercari. Nam prima inſpectione neque vitia, neque virtutes abditas oſtendit, quæ mox retractãtibus facilius apparent. Inſpectionis quoque velut formula nobis a maiorib. tradita eſt, agri pinguis, ac læti: de cuius qualitate dicemus

& degat in eo. Iucundius vtique viro, ſi etiam matrona comitabitur, cuius vt ſexus, ita animus eſt delicatior. quamobrem amœnitate aliqua demerenda erit, quo patientius moretur cũ viro. Elegãter igitur ædificet agricola, nec ſit tamen ędificator, atque areæ idem tantum complectatur, quod ait Cato, quantum ne villa fundum quærat, neue fundus villam: cuius vniuerſum ſitum qualem oporteat eſſe, nũc explicabimus. Quod inchoatur ædificium, ſicut ſalubri regione, ita ſaluberrima parte regionis debet conſtitui: nam circunfuſus aer atque corruptus plurimas affert corporibus noſtris cauſas offenſarum. Sunt quædam loca, quæ ſolſtitiis minus concaleſcunt, ſed frigoribus hiemis intolerabiliter horrent, ſicut Thebas ferunt Bœotias. Sunt quæ tepent hieme, ſed æſtate ſæuiſſime cãdent, vt affirmant Euboicam Chalcidem. Petatur igitur aer calore & frigore tẽperatus, quem fere medius obtinet collis, quod neq; depreſſus hieme pruinis torpet, aut torret æſtate vaporibus, neque elatus in ſumma montium perexiguis ventorum motibus, aut pluuiis omni tẽpore anni ſæuit. Hæc igitur eſt medii collis optima poſitio, loco tamen ipſo paululum intumeſcente: ne cum a vertice torrens imbribus cõceptus effluxerit, fundamenta conuellat.

*De aqua.* 5.

SIT autem vel intra villam, vel extrinſecus inductus fons perennis, lignatio, pabulumque vicinum. Si deerit fluens vnda, putealis quæratur in vicino, quę non ſit hauſtus profundi, non amari ſaporis, aut ſalſi. Hæc quoq; ſi deficient, & ſpes arctior aquæ manantis coegerit, vaſtæ ciſternæ hominibus, piſcinæq; pecoribus inſtruantur, colligendæ aquæ tandem pluuiali, quæ ſalubritati corporis eſt accommodatiſſima: ſed ea ſic habetur eximia, ſi fictilibus tubis in contectam ciſternam deducatur: huic proxima fluens aqua e montibus oriunda, ſi per ſaxa præceps deuoluitur, vt eſt in Guarceno Campaniæ. Tertia putealis, vel collina, vel quæ nõ infima valle reperitur. Deterrima paluſtris, quæ pigro lapſu repit. Peſtilẽs, quæ in palude ſemper cõſiſtit. Hic idem tamen humor quanuis nocentis naturę, temporibus tamen hiemis edomitus imbribus miteſcit: ex quo cæleſtis aqua maxime ſalubris intelligitur, quod etiam venenati liquoris eluit perniciem: ſed hanc potui probatiſſimam diximus. Cæterum ad æſtuum temperandos calores, & amœnitatem locorum, plurimũ conferunt ſaliẽtes riui, quos, ſi cõditio loci patietur, qualescunq;, dũmodo dulces,

vtique

Digitized by Google

aduerſus ea, quæ mox, ſi forte villam prolatare libuerit, ad ſuperiorem partem applicabuntur: quippe ab imo præſtructa valenter reſiſtent contra ea, quæ poſtmodum ſuperpoſita incumbent. at ſi ſumma pars cliui fundata, propriam molem ſuſceperit, quidquid ab inferiore mox appoſueris, fiſſum erit, rimoſumque. Nam nouum cum veteri aſtruitur, rimoſoque recens, ædificium quaſi ſurgenti reluctans oneri cedit: & quod prius extructum imminebit cedenti, paulatimque degrauatū pondere ſuo præceps attrahetur. Igitur id ſtructuræ vitium cum primum ſtatim fundamenta iaciuntur, euitandum eſt.

*De poſitione villæ.* 6.

MODVS autem, membrorumque numerus aptetur vniuerſo conſepto, & diuidatur in tres partes, vrbanam, ruſticā, & fructuariam. Vrbana rurſus in hiberna, & æſtiua, ſic digeratur, vt ſpectent hiemalis temporis cubicula brumalem orientem: cœnationes, æquinoctialem occidentem. Rurſus æſtiua cubicula ſpectent meridiem æquinoctialem, ſed cœnationes eiusdem temporis proſpectent hibernum orientem. Balnearia occidenti æſtiuo aduertantur, vt ſint poſt meridiem & vſque in veſperum inluſtria. Ambulationes meridiano æquinoctiali ſubiectæ ſint, vt hieme plurimum ſolis, & æſtate minimum recipiant. At in ruſtica parte, magna & alta culina ponetur, vt & contignatio careat incendii periculo, & in ea cōmode familiares omni tempore anni morari queant. Optime ſolutis ſeruis cellæ meridiem æquinoctialem ſpectantes fient: vinctis quam ſaluberrimum ſubterraneum ergaſtulum plurimis, ſitque id anguſtis illuſtratum feneſtris, atque a terra ſic editis, ne manu contingi poſſint. Pecudibus fient ſtabula, quæ neque frigore, neque calore infeſtentur. Domitis armentis duplicia bubilia ſint, hiberna, atque æſtiua. Cæteris autem pecoribus, quæ intra villam eſſe conuenit, ex parte tecta loca, ex parte ſub dio parietibus altis, circumſepta, vt illic per hiemem, hic per æſtatem ſine violētia ferarum conquieſcant. Sed omnia ſtabula ſic ordinentur, nequis humor influere poſſit: & vt quiſque, qui ibi conceptus fuerit, quam celerrime dilabatur, vt nec fundamenta parietum corrumpantur, nec vngulæ pecudum. Lata bubilia eſſe oportebit pedes decem, vel minime nouem: quæ menſura & ad procumbendum pecori, & iugario ad circumeundum laxa miniſteria præbeat. Non altius edita eſſe præſepia conuenit, quam vt bos aut iumentum ſine

Digitized by Google

genus horrei, quod ſcripſimus, niſi ſit in ſicca poſitione villæ, quamuis granum robuſtiſſimum corrumpit ſitu: qui ſi nullus adſit, poſſunt etiam defoſſa frumenta ſeruari, ſicut transmarinis quibusdam prouinciis, vbi puteorum in modũ, quos appellant ſiros, exhauſta humus, editos a ſe fructus recipit. Sed nos in noſtris regionibus, quæ redundant vligine, magis illam poſitionem penſilis horrei, & hanc curam pauimentorũ, & parietum probamus. quoniam, vt retuli, ſic emunita ſola & latera horreorum prohibent curculionem: quod genus exitii cum incidit, multi opinantur arceri poſſe, ſi exeſæ fruges in horreo ventilentur, & quaſi refrigerentur. Id autem falſiſſimum eſt: neque enim hoc facto expelluntur animalia, ſed immiſcentur totis aceruis: qui ſi maneant immoti, ſummis tantum partibus infeſtantur, quoniam infra menſuram palmi non naſcitur curculio: longeque præſtat id ſolum, quod iam vitiatum eſt, quam totum periculo ſubiicere. nam cum exiget vſus, facile eſt eo ſublato, quod vitiatum erit, integro inferiore vti: ſed hæc, etſi extrinſecus, non tamen intempeſtiue videor hoc loco retuliſſe. Torcularia præcipue, cellæque oleariæ calidæ eſſe debent, quia commodius omnis liquor vapore ſoluitur, ac frigoribus magis conſtringitur. Oleum, quod minus prouenit, ſi congelatur, fraceſcet: ſed vt calore naturali eſt opus, qui contingit poſitione cæli, & declinatione, ita non eſt opus ignibus aut flammis: quoniam fumo & fuligine ſapor olei corrumpitur. Propter quod torcular debet a meridiana parte illuſtrari, neceſſe ne habeamus ignes lucernamque adhibere, cum premetur olea. Cortinale vbi defrutum fiat, nec anguſtum, nec obſcurum ſit, vt ſine incommodo miniſter, qui ſapam decoquet, verſari poſſit. Fumarium quoque, quo materia, ſi non ſit iampridem cæſa, feſtinato ſiccetur, in parte ruſticę villę fieri poteſt iunctum ruſticis balneis. nam eas quoque refert eſſe, in quibus familia, ſed tantum feriis lauetur. Neque enim corporis robori conuenit frequens vſus earum. Apothecę recte ſuperponentur his locis, vnde plerunq; fumus earum exoritur: quoniam vina celerius vetuſteſcunt, quę fumi quodam tenore pręcocem maturitatem trahũt. Propter quod & aliud tabulatum eſſe debebit, quo admoueantur, ne rurſus nimia ſuffitione medicata ſint. Quod ad villæ pertinet ſitum, partiumque eius diſpoſitionem, ſatis dictum eſt. Circa villam deinceps hęc eſſe oportebit, furnum & piſtrinũ, quantũ futurus numerus colonorũ poſtulauerit. Piſcinas

mini-

Digitized by Google

impenſam ruſticis affert. Nec ſane eſt vindicandum nobis quicquid licet. Nam ſummum ius antiqui ſummam putabant crucem. Nec rurſus in totum remittendum: quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe veriſſime fertur. Sed & ipſe noſtra memoria veterem conſularem, virumque opulentiſſimum L. Voluſium aſſeuerantem audiui, patrisfamilias feliciſſimum fundum eſſe, qui colonos indigenas haberet, & tanquam in paterna poſſeſſione natos, iam inde a cunabulis longa familiaritate retineret. Ita certe mea fert opinio, rem malam eſſe frequētem locationem fundi: peiorem tamen vrbanum colonum, qui per familiam mauult agrum, quam per ſe colere. Saſerna dicebat ab eiuſmodi homine fere pro mercede litem reddi. Propter quod operam dandam eſſe, vt & ruſticos, & eosdem aſſiduos colonos retineamus, cum aut nobiſmetipſis non licuerit, aut per domeſticos colere non expedierit: quod tamē non euenit, niſi in his regionibus, quę grauitate cęli, ſolique ſterilitate vaſtātur. Cęterum cum mediocris adeſt & ſalubritas, & terrę bonitas, nunquam nō ex agro plus ſua cuique cura reddidit, quam coloni: nunquam non etiam villici, niſi ſi maxima vel negligentia ſerui, vel rapacitas interuenit. Quæ vtraque peccata plerunque vitio domini vel committi, vel foueri, nihil dubiū eſt: cum liceat aut cauere ne talis præficiatur negotio: aut iam prępoſitus, vt ſubmoueatur curare. In longinquis tamen fundis, in quos non eſt facilis excurſus patrisfamilias, cum omne genus agri tolerabilius ſit ſub liberis colonis, quam ſub villicis ſeruis habere, tum pręcipue frumentarium, quem minime (ſicut vineas aut arbuſtum) colonus euertere poteſt, & maxime vexant ſerui, qui boues elocant, eosdemque & cętera pecora male paſcunt, nec induſtrie terram vertunt, longeq; plus imputant ſeminis iacti, quam quod ſeuerint: ſed nec quod terrę mandauerint ſic adiuuant, vt recte proueniat: idque cum in aream contulerūt, per trituram quotidie minuunt vel fraude, vel negligentia. Nam & ipſi diripiunt, & ab aliis furibus non cuſtodiunt. Sed nec conditū cum fide, rationibus inferūt: ita fit, vt & actor, & familia peccent, & ager ſępius infametur. quare talis generis prędium, ſi, vt dixi, domini pręſentia cariturum eſt, cenſeo locandum.

*De pecore & pecorum magiſtris.* 8.

PROXIMA eſt cura de ſeruis, cui quenque officio prępo-

nere

Digitized by Google

ferramentorumque curam: vt duplicia quam numerus ſeruorum exigit, refecta & repoſita cuſtodiat, nequid a vicino petendum ſit: quia plus in operis ſeruorum, quam in pretio rerum eiuſmodi conſumitur. Cultam veſtitamque familiam magis vtiliter quam delicate habeat, munitamque diligenter a vento, frigore, pluuiaque; quę cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus cōfectis, vel ſagis cucullis. Id ſi fiat, nullus dies tam intolerabilis eſt, quo non ſub diuo moliri aliquid poſſit. Nec tantum operis agreſtis ſit artifex, ſed & animi, quantum ſeruile patitur ingenium, virtutibus inſtructus, vt neque remiſſe, neque crudeliter imperet. Semperque aliquos ex melioribus foueat, parcat tamen etiam minus bonis: ita vt potius timeant eius ſeueritatem, quam crudelitatem deteſtentur. Id contingere poterit, ſi maluerit cuſtodire ſubiectos, ne peccent, quam negligentia ſua committere vt puniat delinquentes. Nulla eſt autem maior vel nequiſſimi hominis cuſtodia, quam operis exactio: vt iuſta reddantur, vt villicus ſemper ſe repræſentet. Sic enim & magiſtri ſingulorum officiorum ſedulo munia ſua exequentur, & cęteri poſt defatigationem operis quieti, ac ſomno potius, quā deliciis operam dabunt. Iam illa vetera, ſed optimi moris, quę nunc exoleuerunt, vtinam poſſint obtineri: ne conſeruo miniſtro quoquam, niſi in re domini, vtatur: ne cibum niſi in conſpectu familię capiat: neue alium, quam qui cæteris præbetur: ſic enim curabit, vt & panis diligenter conſiat, & reliqua ſalubriter apparentur. Ne extra fines, niſi a ſe miſſum, progredi ſinat: ſed nec ipſe mittat, niſi magna neceſſitate cogente. Neue negotietur ſibi, pecuniamque domini, aut animalibus, aut rebus aliis promercalibus occupet. Hæc enim negotiatio curam villici auocat, nec vnquam patitur eum cū rationibus domini paria facere; ſed vbi numeratio exigetur, rem pro nummis oſtendit. In vniuerſum tamen hoc maxime obtinendum ab eo eſt, nequid ſe putet ſcire quod neſciat, quæratque ſemper addiſcere quod ignorat. Nam cum multū prodeſt perite quid facere, tū plus obeſt perperam fęciſſe. Vnū enim ac ſolum dominatur in ruſticatione, quicquid exigit ratio culturæ ſemel facere: quippe cum emendatur vel imprudentia, vel negligentia, iam res ipſa decoxit. Nec in tantum poſtmodum exuberat, vt & rem amiſſam reſtituat, & quæſtum temporum pręteritorum reſarciat. In cæteris ſeruis hæc fere præcepta ſeruanda ſunt, quæ me cuſtodiſſe non pœnitet,

vt ru-

Digitized by Google

num aliqua vitis, num arbor, num fruges abſint: tum etiam pecus & familiam recenſeat, fundique inſtrumentum, & ſupellectilem: quæ cuncta ſi per plures annos facere inſtituerit, bene moratam diſciplinam, cum ſenectus aduenerit, obtinebit. nec erit vlla eius ætas annis ita confecta, vt ſpernatur a ſeruis.

*Qualis corporatura mancipia, cuique operi contribuenda ſunt.* 9.

DICENDVM etiam eſt, quibus operibus quenque habitum corporis aut animi contribuendum putemus. Magiſtros pecoribus oportet præponere ſedulos, ac frugaliſſimos. ea res vtraq; plus quam corporis ſtatura roburque confert huic negotio: quoniam id miniſterium cuſtodiæ diligentis & artis officium eſt. Bubulco quanuis neceſſaria, non tamen ſatis eſt indoles mentis, niſi eum vaſtitas vocis, & habitus metuendũ pecudibus efficit. Sed temperet vires clementia: quoniam terribilior debet eſſe, quam ſæuior, vt & obſequantur eius imperiis, & diutius perennent boues non confecti vexatione ſimul operum, verberumque. Sed quæ ſint magiſtrorum munia, quæque bubulcorum, ſuo loco repetam. Nunc admonuiſſe ſatis eſt, nihil in his, in illis plurimum referre vires & proceritatem. Nam longiſſimum quenque aratorem, ſicut dixi, faciemus, & propter id, quod paulo ante retuli, & quod in re ruſtica nullo minus opere fatigatur prolixior, quia in arando ſtiuæ pene rectus innititur. mediaſtinus qualiſcunque ſtatus poteſt eſſe, dummodo perpetiendo labori ſit idoneus. Vineæ non ſic altos, quemadmodum latos & lacertoſos viros exigunt. Nam his habitus foſſuris, & putationibus, cæteriſque earum culturis magis aptus. Minus in hoc officio, quã in cęteris agricolatio frugalitatem requirit, quia & in turba, & ſub monitore vinitor opus facere debet. Ac plerumque velocior animus eſt improborum hominum, quam deſiderat huius operis conditio. non ſolum enim fortem, ſed & acuminis ſtrenui miniſtrum poſtulat. Ideoque vineta plurimum per alligatos excoluntur. Nihil tamen eiuſdem agilitatis homo frugi non melius, quam nequam faciet. Hoc interpoſui, nequis exiſtimet in ea me opinione verſari, qua malim per noxios, quam per innocentes rura colere. Sed & illud cenſeo, ne confundantur opera familiæ, ſic vt omnes omnia exequantur. Nam id minime conducit agricolæ, ſeu quia nemo ſuum

Digitized by Google

rerum præcepta ſimul eleganter, & ſcite memoriæ prodiderit, videlicet illectus nimio fauore priſcorum de ſimili materia differentium, falſo credidit parentem omnium terram, ſicut muliebrem ſexum ætate anili iam confectam, progenerandis eſſe fœtibus inhabilem. Quod ipſe quoque confiterer, ſi in totum nullæ fruges prouenirent. Nam & hominis tum demum declaratur ſterile ſenium, non cum deſinit mulier trigeminos, aut geminos parere, ſed cum omnino nullum conceptum edere valet. Itaque tranſactis iuuentæ temporibus, etiam ſi longa vita ſupereſt, partus tamen annis denegatus, non reſtituitur. At e contrario ſeu ſponte, ſeu quolibet caſu deſtituta humus, cum eſt repetita cultu, magno fœnore ceſſationis colono reſpondet. Non ergo eſt exiguarum frugum cauſa terræ vetuſtas, ſi modo cum ſemel inuaſit ſenectus, regreſſum non habet, nec reuireſcere, aut repubeſcere poteſt: ſed ne laſſitudo quidem ſoli minuit agricolæ fructum. Neque enim prudentis eſt adduci tanquam in hominibus nimia corporis exercitatione, aut oneris alicuius pondere, ſic cultibus & agitationibus agrorum fatigationem ſuccedere. Quid ergo eſt, inquis, quod aſſeuerat Tremellius intacta & ſilueſtria loca, cum primum cœperint cultu exuberare, mox deinde non ita reſpondere labori colonorum? Videt ſine dubio quid eueniat, ſed cur id accidat, non peruidet: neque enim idcirco rudis, & modo ex ſilueſtri habitu in aruum transducta fœcundior haberi terra debet, quod ſit requietior & iunior, ſed quod multorum annorum frondibus, & herbis, quas ſuapte natura progenerabat, velut ſaginata largioribus pabulis facilius edendis educandiſque frugibus ſufficit. At cum perruptæ raſtris & aratris radices herbarum, ferroque ſuccisa nemora frondibus ſuis deſierunt alere matrem, quæque temporibus autumni frutetis & arboribus delapſa folia ſuperiaciebantur, mox conuerſa vomeribus, & inferiori ſolo, quod plerunque eſt exilius, permiſta, atq; abſumpta ſunt, ſequitur, vt deſtituta priſtinis alimentis macreſcat humus. Non igitur fatigatione, quemadmodum plurimi crediderūt, nec ſenio, ſed noſtra ſcilicet inertia minus benigne nobis arua reſpondent. Licet enim maiorem fructum percipere ſi frequenti & tempeſtiua & modica ſtercoratione terra refoueatur. De cuius cultū dicturos nos priori volumine polliciti, iam nūc diſſeremus.

Quot

Digitized by Google

Itaque hic ager ſiue exercetur, ſeu ceſſat, colono eſt pœnitendus, ac tanquam peſtilens refugiendus. Nam ille mortem facit, hic teterrimam comitem mortis famem. ſi tamē Græcis camœnis habemus fidem clamitantibus,

*Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν.*

Sed nunc potius vberioris ſoli meminerimus, cuius demonſtranda eſt duplex ratio, culti & ſilueſtris. De ſilueſtri regione in aruorum formam redigenda prius dicemus, quoniam eſt antiquius facere agrum, quam colere. Incultum igitur locum conſideremus, ſiccus, an humidus: nemoroſus arboribus, an lapidibus confragoſus: iuncone ſit, an gramine veſtitus, ac filictis aliiſue frutetis impeditus: ſi humidus erit, abundantia vliginis ante ſiccetur foſſis. Earum duo genera cognouimus, cæcarum & patentium: ſpiſſis atque cretoſis regionibus apertæ relinquuntur. at vbi ſolutior humus eſt, aliquæ fiunt patentes, quædam etiam obcæcantur, ita vt in patentes ora hiantia cæcarum competant: ſed & patentes latius, & apertas ſumma parte decliueſque, & ad ſolum coarctatas, imbricibus ſupinis ſimiles facere conueniet. nam quarum recta ſunt latera, celeriter aquis vitiantur, & ſuperioris ſoli lapſibus replentur. Opertæ rurſus obcæcari debebunt, ſulcis in altitudinem tripedaneam depreſſis: qui cū parte dimidia lapides minutos, vel nudam glaream receperint, æquentur ſuperiecta terra, quæ fuerat effoſſa. vel ſi nec lapis erit, nec glarea, ſarmentis connexus velut funis informabitur in eam craſſitudinem, quam ſolum foſſæ poſſit anguſte, quaſi accommodatam coarctatamque capere. Tum per imum contendetur, vt ſuper calcatis cupreſſinis, vel pineis, aut, ſi eæ non erunt, aliis frondibus terra contegatur, in principio atque exitu foſſæ more ponticulorum binis ſaxis tantummodo pilarum vice conſtitutis, & ſingulis ſuperpoſitis, vt eiuſmodi conſtructio ripam ſuſtineat, ne præcludatur humoris illapſu atque exitu. Nemoroſi frutetoſique tractus duplex cura eſt, vel extirpandis radicitus arboribus & remouendis; vel ſi raræ ſint, tantum ſuccidendis, incendendiſque, & inarandis. At ſaxoſum facile eſt expedire lectione lapidum, quorum ſi magna eſt abundantia, velut quibuſdam ſubſtructionibus partes agri ſunt occupandæ, vt reliquæ emundentur: vel in altitudinem ſulco depreſſo lapides obruendi. quod tamen ita faciendum erit, ſi ſuadebit operarum vilitas. Iunci & graminis pernicies, repaſtinatio eſt:

filicis

poſſunt videri, quam ſi ſit pullula terra, quæ melius prouentu frugum approbatur. Sapore quoque ſic dignoſcemus, ſi ex ea parte agri, quæ maxime diſplicebit, effoſſæ glæbæ, & in fictili vaſe madefactæ, dulci aqua permiſceantur, ac more fæculenti vini diligenter colatæ guſtu explorentur. nam qualem traditum ab eis retulerit humor ſaporem, talem eſſe dicemus eius ſoli. ſed citra hoc experimentum multa ſunt, quæ & dulcem terram, & frumentis habilem ſignificent, vt iuncus, vt calamus, vt gramen, vt trifolium, ebulum, rubi, pruni ſilueſtres, & alia complura, quæ etiam indagatoribus aquarum nota, non niſi dulcibus terræ venis educantur. Nec contentos eſſe nos oportet prima ſpecie ſummi ſoli, ſed diligenter exploranda eſt inferioris materiæ qualitas, terrena necne ſit. Frumentis autem ſat erit, ſi æque bona ſuberit bipedana humus: arboribus altitudo quatuor pedum abunde eſt. Hæc cum ita explorauerimus, agrum ſationibus faciundis expediemus. Is autem non minimum exuberat, ſi curioſe & ſcite ſubigitur. quare antiquiſſimi fere omnes formam huius operis conſcripſere, quam velut ſcita legemque in proſcindendis agris ſequantur agricolæ. Igitur in opere boues arcte iunctos habere conuenit, quo ſpecioſius ingrediantur ſublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, iugumque melius aptum ceruicibus inſidat. hoc enim genus iuncturæ maxime probatum eſt. Nam illud quod in quibuſdam prouinciis vſurpatur, vt cornibus illigetur iugum, fere repudiatum eſt ab omnibus qui præcepta ruſticis conſcripſerunt: neque immerito: plus enim queunt pecudes collo & pectore conari, quam cornibus. Atque hoc modo tota mole corporis, totoque pondere nituntur: at illo, retractis & reſupinis capitibus excruciantur, ægreque terræ ſummam partem leui admodum vomere ſauciant. Et ideo minoribus aratris moliuntur, qui non valent alte perfoſſam noualium terram reſcindere: quod cum fit, omnibus virentibus plurimum confert. nam penitus aruis ſulcatis maiore incremento ſegetum arborumque fœtus grandeſcunt. Et in hoc igitur a Celſo diſſentio, qui reformidans impenſam, quæ ſcilicet largior eſt in amplioribus armentis, cenſet exiguis vomeribus & dentalibus terram ſubigere, quo minoris formę bubus adminiſtrari id poſſit, ignorans plus eſſe reditus in vbertate frugum, quam ſtipendii, ſi maiora mercemur armēta, præſertim in Italia, vbi arbuſtis atque oleis conſitus ager altius reſolui ac ſubigi

Digitized by Google

bubulci dixiſſe abunde eſt. Sequitur, vt tempora quoque ſubigendi arui præcipiamus.

*Quo tempore campi arandi ſint, & quomodo.* 4.

PINGVES campi, qui diutius continent aquam, pręſcindendi ſunt anni tempore iam incaleſcēte, cum omneis herbas ediderint, neque adhuc earum ſemina maturuerint. ſed tam frequentibus denſiſque ſulcis arandi ſunt, vt vix dignoſcatur in vtram partem vomer actus ſit: quoniam ſic omnes radices herbarum perruptę necantur. Sed & compluribus iterationibus ſic reſoluatur veruactum in puluerem, vt vel nullam vel exiguam deſideret occationem, cum ſeminauerimus. Nam veteres Romani dixerunt male ſubactum agrum, qui ſatis frugibus occandus ſit. eum porro an recte aretur, frequenter explorare debet agricola. Nec tantum viſu, qui fallitur nonnunquam ſuperfuſa terra latentibus ſcamnis, verumetiam tactu, qui minus decipitur, cum ſolidi rigoris adnota pertica tranſuerſis ſulcis inſeritur. ea ſi æqualiter, ac ſine offenſione penetrauit, manifeſtum eſt totum ſolum deinceps eſſe motum. ſin autem ſubeunti durior aliqua pars obſtitit, crudum veruactum eſſe demonſtrat. Hoc cum ſæpius bubulci fieri vident, non committunt ſcamna facere. Igitur vliginoſi cāpi proſcindi debent poſt Idus menſis Aprilis. Quo tempore cum arati fuerint diebus interpoſitis circa ſolſtitium, quod eſt nonum vel octauum Calend. Iulias, iteratos eſſe oportebit, ac deinde circa Septembris Calendas tertiatos. Cum id tempus ab æſtiuo ſolſtitio conuenit inter peritos rei ruſticę non eſſe arādum, niſi ſi magnis, vt fit nonnunquam, ac ſubitaneis imbribus, quaſi hibernis pluuiis terra permaduerit. Quod cum accidit, nihil prohibet, quo minus menſe Iulio veruacta ſubigantur. ſed quandocūque arabitur, obſeruabimus, ne lutoſus ager tractetur, neue exiguis nimbis ſemimadidus, quam terram ruſtici variā carioſamque appellant. Ea eſt cū poſt longas ſiccitates leuis pluuia ſuperiorem partem glębarum madefecit, inferiorem non attigit. Nam quæ limoſa verſantur arua, toto anno deſinunt poſſe tractari, nec ſunt habilia ſementi, aut occationi, aut ſationi. At rurſus, quæ varia ſubacta ſunt, continuo triennio ſterilitate afficiuntur. Medium igitur temperamentum maxime ſequamur in arandis agris, vt neque ſucco careāt, nec abundent vligine. Quippe nimius humor, vt dixi, limoſos lutoſoſque reddit. at quæ ſiccitatibus aruerunt, expediri

in lira, ſed ſub ſulco talis ager ſeminandus eſt.

*Exilis terra quomodo ſtercoretur.* 5.

PRIVS tamen quam exilem terram iteremus, ſtercorare conueniet: nam eo quaſi pabulo gliſcit. In campo rarius, in colle ſpiſſius, acerui ſtercoris, inſtar quinque modiorum diſponentur, atque in plano pedes interualli quoquo verſus octo, in cliuo duobus minus relinqui ſat erit. ſed id nobis decreſente luna fieri placet: nam ea res herbis liberat ſegetes. Iugerum autem deſiderat, quod ſpiſſius ſtercoratur, vehes quatuor & viginti: quod rarius, duodeuiginti. Diſiectum deinde protinus fimum inarari, & obrui conuenit, ne ſolis halitu vires amittat, & vt permiſta humus prædicto alimento pingueſcat. Itaque cum in agro diſponentur acerui ſtercoris, non debet maior modus eorum diſſipari, quam quem bubulci eodem die poſſint obruere.

*De generibus ſeminum.* 6.

QVONIAM ſementi terram docuimus præparare, nunc ſeminum genera perſequemur. Prima & vtiliſſima ſunt hominibus frumenta, triticum, & ſemen adoreum. Tritici genera complura cognouimus. verum ex his maxime ſerendum eſt, quod robus dicitur: quoniam & pondere, & nitore pręſtet. Secunda conditio eſt habenda ſiliginis, cuius ſpecies in pane præcipua pondere deficitur. Tertium erit trimeſtre, cuius vſus agricolis gratiſſimus. Nam vbi propter aquas aliamue cauſam matura ſatio eſt omiſſa, præſidium ab hoc petitur. Id genus eſt ſiliginis. Reliquæ tritici ſpecies, niſi ſi quos multiplex varietas frugum, & inanis delectat gloria, ſuperuacuæ ſunt. Adorei autem plerunque vidimus in vſu genera quatuor. Far, quod appellatur cluſinum, candoris nitidi. Far, quod vocatur vennuculum, rutilum, atque alterum candidũ, ſed vtrunque maioris ponderis, quam cluſinum. Semen trimeſtre, quod dicitur halicaſtrum, idque põdere, & bonitate eſt præcipuum. Sed hæc genera tritici, & adorei, propterea cuſtodienda ſunt agricolis, quod raro quiſquam ager ita ſitus eſt, vt vno ſemine contenti eſſe poſſimus, interueniente parte aliqua vel vliginoſa, vel arida. Triticum autem ſicco loco melius coaleſcit. Adoreum minus infeſtatur humore.

*De generibus leguminum.* 7.

LEGVMINVM genera cum ſint complura, maxime grata, & in vſu hominum videntur, faba, lenticula, piſum, phaſellus, cicer, cannabis, milium, panicum, ſeſama, lupinum, linum etiam

Digitized by Google

cum iam caulem nec adhuc ſemina facit, deciſa contunditur, atq; expreſſus humor eius fictili vaſe reconditur, duabus vrnis liquoris, admiſſo ſalis torridi ſemodio. quod vbi factum eſt, oblitum vas in ſterquilinio defoditur, ac toto anno fimi vapore concoctum, mox promitur: tepefactumq; medicamentum linitur ſcabrę parti, quę prius aſpera teſta, vel pumice defricta redulceratur. eidem remedio eſt amurca duabus partibus decocta: item vetus hominis vrina teſtis candentibus inuſta. quidam tamen hanc ipſam ſubiectis ignibus quinta parte minuunt, admiſcentque pari menſura ſuccum viridis cicutæ: deinde figularibus tritis, & picis liquidæ, & fricti ſalis ſingulos ſextarios infundunt. facit etiam ſulfuris triti, & picis liquidæ modus æqualis igne lento coactus. ſed Georgicum carmen affirmat, nullam eſſe præſtantiorem medicinam,

*Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum*
*Vlceris os: alitur vitium, viuitq; tegendo.*

Itaque reſerandum eſt, & vlcera medicamentis curandum. Subiicit deinde æque prudenter, febricitantibus ouibus de talo vel inter duas vngulas ſanguinem emitti oportere: nam plurimum id quidem

*Profuit incenſos æſtus auertere, & inter*
*Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam.*

Nos etiam ſub oculis, & de auribus ſanguinem detrahimus. Claui quoque dupliciter infeſtant ouem, ſiue cum ſubluuies, atq; intertrigo in ipſo diſcrimine vngulæ naſcitur: ſeu cum idem locus tuberculum habet, cuius media fere parte canino ſimilis extat pilus, eiq; ſubeſt vermiculus. Subluuies, & intertrigo pice per ſe liquida, vel alumine & ſulfure atque aceto miſtis rite eruentur, vel tenero punico malo, prius quam grana faciat, cum alumine pinſito, ſuperfuſoque aceto, vel æris ærugine infriata, vel combuſta galla cum auſtero vino leuigata, & ſuperpoſita. tuberculum, cui ſubeſt vermiculus, ferro quam acutiſſime circumſecari oportet, ne, dum amputatur, etiam, quod infra eſt, animal vulneremus: id enim cum ſauciatur, venenatam ſaniem mittit, qua reſperſum vulnus ita inſanabile facit, vt totus pes amputandus ſit: & cum tuberculum diligenter circunciderit, candens ſeuum vulneri per ardentem tedam inſtillato. Ouem pulmonariam ſimiliter vt ſuem curari conuenit, inſerta per auriculam, quam veterinarii conſiliginem vocant: de ea iam diximus, cum maioris pecoris medicinam tradidimus. ſed is morbus æſtate plerunque concipitur,

herbida, ſed quæ plerunque vidua ſunt ſpinis, vtamurque ſæpius auctoritate diuini carminis:

*Si tibi lanitium cura eſt, primum aſpera ſilua*
*Lappæq; tribuliq; abſint.*

Quoniam ea res, vt ait idem, ſcabras oues reddit, cum tonſis illotus adhæſit ſudor: & hirſutis ſecuerunt corpora vepres: cum etiam quotidie minuitur lana, quæ quanto prolixior in pecore concreſcit, tanto magis obnoxia eſt rubis, quibus velut hamis inuncata, a paſcentium tergoribus auellitur: molle vero pecus etiam velamen, quo protegitur, amittit, atque id nō paruo ſumptu reparatur. Inter auctores fere conſtat, primum eſſe admiſſuræ tempus vernum parilibus, ſi ſit ouis matura: ſin vero fœta, circa Iulium menſem. Prius tamen haud dubie probabilius, vt meſſem vindemia, fructū deinde vineaticum fœtura pecoris excipiat, & totius autumni pabulo ſatiatus agnus ante mœſtitiam frigorum, atque hiemis ieiuniū confirmetur. Nam melior eſt autumnalis verno, ſicut ait veriſſime Celſus, quia magis ad rem pertinet, vt ante ęſtiuū quam hibernum ſolſtitium conualeſcat: ſoluſq; ex omnibus animalibus bruma cōmode naſcitur: ac ſi res exigit, vt plurimi mares progenerandi ſint. Ariſtoteles vir callidiſſimus rerum naturę pręcipit admiſſuræ tempore obſeruare ſiccis diebus halitus ſeptemtrionales, vt contra ventum gregem paſcamus, & eum ſpectans admittatur pecus: at ſi fœminæ generandæ ſunt, auſtrinos flatus captare, vt eadem ratione matrices ineantur. Nā illud, quod priore libro docuimus, vt admiſſarii dexter, vel etiam ſiniſter vinculo teſticulus obligetur, in magnis gregibus operoſum eſt. Poſt fœturam deinde longinquæ regionis paſcua petiturus opilio, fere omnem ſobolem paſtioni reſeruet ſuburbanæ: villicus enim teneros agnos, dum adhuc herbæ ſunt expertes, lanio tradit, quoniam & paruo ſumptu deuehuntur, & iis ſummotis, fructus lactis ex matribus nō minor percipitur. Summitti tamen etiam in vicinia vrbis quandoq; oportebit. Nam vernaculum pecus peregrino lōge eſt vtilius. Nec committi debet, vt totus grex effœtus ſenectute dominum deſtituat: cum præſertim boni paſtoris vel prima cura ſit annis omnibus in demortuarum vitioſarumque ouium locum totidem, vel etiam plura capita ſubſtituere: quoniam ſępe frigorum atque hiemis ſæuitia paſtorem decipit, & eas oues interimit, quas ille tempore autumni ratus adhuc eſſe tolerabiles, non ſummouerat. quo magis etiam propter hos ca-

ſexus accendenda venus eſt. maxime facit ad hanc rem, ſi fauilla leui torreas fabam, tepidamque des ieiunis quinto quoque die: nec tamen excedas modum ſex cyathorum in ſingulas aueis. hęc cibaria non omnibus promiſcue ſpargenda ſunt, ſed in ſingulis ſeptis, quæ arundinibus intexi oportere propoſueram, portione ſeruata quinque fœminarum, & vnius maris. ponenda ſunt cibaria, nec minus aqua, quæ ſit idonea potui. quod vbi factum eſt, mares ſine rixa deducuntur in ſua quiſque ſepta cum fœminis, & æqualiter vniuerſus grex paſcitur. nam etiam in hoc genere pugnaces inueniuntur maſculi, qui & a cibo, & a coitu prohibent minus validos, niſi ſint hac ratione ſeparati. fere autem locis apricis ineundi cupiditas exercet mares, cum Fauonii ſpirare cœperunt, id eſt, tempus ab Idib. Februar. ante Martium menſem. Signa ſunt extimulatæ libidinis, cum ſemetipſum veluti mirantem caudæ gemmantibus pinnis protegit: idque cum facit, rotare dicitur. Poſt admiſſuræ tempus confeſtim ma[?]ces cuſtodiendæ ſunt, ne alibi quam in ſtabulo fœtus edant: ſæpiuſque digitis loca fœminarum tentanda ſunt. nam in promptu gerunt oua, quibus iam partus appropinquat. itaque includendæ ſunt enitentes, ne extra clauſum fœtum edant: maximeq; temporibus iis, quibus parturiunt, pluribus ſtramentis exaggerandum eſt auiarium, quo tutius integri fœtus excipiantur. nam fere pauones, cum ad nocturnã requiem venerunt, prædictis perticis inſiſtentes enitũtur oua, quæ quo propius ac mollius deciderint, illibatam ſeruant integritatẽ. quotidie ergo diligẽter mane temporibus fœturæ ſtabula circũeunda erunt, & iacentia oua colligenda: quę quanto recentiora gallinis ſubiecta ſunt, tanto commodius excludũtur: idq; fieri maxime patrisfamilias ratione conducit. nã fœminæ pauones quæ nõ incubant, ter anno fere partus edunt: at quę fouent oua, totũ tempus fœcunditatis aut excludendis, aut etiam educandis pullis conſumunt. Primus eſt partus quinq; fere ouorum: ſecundus quatuor: tertius aut trium, aut duorũ. Neq; eſt quòd committatur, vt Rhodiæ aues pauoninis incubent, quæ ne ſuos quidẽ fœtus commode nutriunt, ſed veteres maxime quæq; gallinæ vernaculi generis eligãtur: eæq; nouẽ diebus a primo lunæ incremento, nouenis ouis incubẽt, ſintq; ex his quinq; pauonina, & cętera gallinacei generis. Decimo deinceps die omnia gallinacea ſubtrahantur: & totidem recentia eiuſdẽ generis ſupponantur, vt trigeſima luna, quæ eſt fere noua, cum pauoninis

feræ præberi, vnam vel alteram domi manſueſactam conueniet immittere, quæ peruagata totum viuarium cunctantes ad obiecta cibaria pecudes perducat. Nec ſolum iſtud per hiemis penuriam fieri expedit, ſed cum etiam fœtæ partus ediderint, quo melius educent natos. Itaque cuſtos viuarij frequēter ſpeculari debebit, ſi iam effœtæ ſint, vt manu datis ſuſtineantur frumentis. nec vero patiendus eſt oryx, aut aper, aliuſve quis ferus vltra quadrimatum ſeneſcere. nam vſque in hoc tempus capiunt incrementa, poſtea maceſcunt ſenectute. quare dū viridis ætas pulchritudinem corporis conſeruat, ære mutandi ſunt. Ceruus autem compluribus annis ſubſtineri poteſt. nā diu iuuenis poſſidetur, quod æui longioris vitam ſortitus eſt. De minoris autē incrementi animalibus, qualis eſt lepus, hęc pręcipimus, vt in iis viuariis quę maceria munita ſunt, farraginis, & olerum fere intubi lactucæq; ſemina paruulis areolis per diuerſa ſpatia factis iniiciantur. itemq; punicū cicer, vel hoc vernaculum, nec minus ordeū, & cicercula condita ex horreo promantur, & aqua cæleſti macerata obiiciantur. nam ſicca non nimis ab lepuſculis appetuntur. Hæc porro animalia, vel ſimilia his (etiam ſilēte me) facile intelligitur, quā non expediat conferre in id viuarium, quod vacerris circundatum eſt: ſiquidem propter exiguitatem corporis facile clatris ſubrepunt, & liberos nacta egreſſus fugam moliuntur.

*De apibus.* 21.

Venio nunc ad alueorum curam, de quibus neque diligentius quicquam præcipi poteſt, quam ab Higinio iam dictū eſt, nec ornatius quam Virgilio, nec elegantius quam Celſo. Higinius veterum auctorum placita ſecretis diſperſa monimentis induſtrie collegit: Virgilius poeticis floribus illuminauit: Celſus vtriuſque memorati adhibuit modum. Quare ne attentanda quidem nobis fuit hæc diſputationis materia, niſi quod conſummatio ſuſceptæ profeſſionis hanc quoque ſui partem deſiderabat, ne vniuerſitas inchoati operis noſtri velut membro aliquo reciſo, mutila, atque imperfecta conſpiceretur. Atque ea quæ Higinius fabuloſe tradita de originibus apum non intermiſit, poeticæ magis licentiæ, quam noſtræ fidei conceſſerim. Nec ſane ruſtico dignum eſt ſciſcitari, fuerit ne mulier pulcherrima ſpecie Meliſſa, quam Iupiter in apem conuertit, an (vt Euhemerus poeta dicit) crabronibus & ſole genitas apes, quas nymphæ Phryxonides educauerint, mox Dictæo ſpecu

piantur,& domiciliorum numerus augeatur. nam ſæpe morbis intercipiuntur, quibus quemadmodum mederi oportet, ſuo loco dicetur.

*Quales paſtiones & qui ſitus paſtionum apum eſſe debeat.* 4.

Interim per has notas, quas iam diximus,probatis apibus deſtinari debent pabulationes, eæque ſint ſecretiſſimæ, & vt noſter præcipit Maro,viduæ pecudibus, aprico, & minime procelloſo cæli ſtatu:

*Quo neque ſit ventis aditus. nam pabula venti*
*Ferre domum prohibent:neque oues, hœdique petulci*
*Floribus inſultent, aut errans bucula campo*
*Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.*

eademque regio fœcunda ſit fruticis exigui, & maxime thymi,aut origani,tum etiã thymbræ,vel noſtratis cunilæ,quam ſatureiam ruſtici vocant. Poſt hæc frequens ſit incremẽti maioris ſurculus, vt roſmarinus, & vtraque cytiſus. eſt enim ſatiua,& altera ſuæ ſpontis. itemque ſemper virens pinus, & minor ilex: nam prolixior ab omnibus improbatur. ederæ quoque non propter bonitatem recipiuntur, ſed quia præbent plurimum mellis. Arbores vero ſunt probatiſſimæ,rutila atque alba ziziphus, nec minus amarantus, tum etiam amygdalæ,& perſici,atque pyri,denique pomiferarum pleræque, ne ſingulis immorer. At ſilueſtrium commodiſſime faciunt glandifera robora, quin etiam terebinthus, nec diſſimilis huic lentiſcus,& odorata cedrus. At tiliæ ſolæ ex omnibus ſunt nocentes:taxi repudiantur. Mille præterea ſemina vel crudo cæſpite virẽtia,vel ſubacta ſulco, flores amiciſſimos apibus creant, vt ſunt in irriguo ſolo frutices amelli, caules acanthini, ſcapus aſphodeli, gladiolus narciſſi. At in hortenſi lira conſita nitent candida lilia, nec his ſordidiora leucoia, tum puniceæ roſæ, luteolæque, & ſarranæ violæ, nec minus cęleſtis numinis hyacinthus, corycius item,ſiculuſque bulbus croci deponitur, qui coloret odoretque mella. Iam vero notæ vilioris innumerabiles naſcuntur herbæ, cultiſque atque paſcuis regionibus, quæ fauorum ceras exuberant: vt vulgares lapſanæ, nec his pretioſior armoratia, rapiſtrique olus,& intubi ſilueſtris,ac nigri papaueris flores,tum agreſtis paſtinaca,& eiuſdem nominis edomita, quam Græci σταφυλῖνον vocant. Verum ex cunctis,quæ propoſui, quæque omiſi temporis compendia ſequens (nã inexputabilis erat numerus) ſaporis

Tum perennis aqua, ſi eſt facultas, inducatur, vel extructo canali manu detur, ſine qua neque faui, neque mella, nec pulli denique figurari queunt. Siue igitur, vt dixi, præterfluens vnda, vel putealis, canalibus immiſſa fuerit virgis ac lapidibus aggeretur apum cauſa,

*Pontibus vt crebris poſſint conſiſtere, & alas*
*Pandere ad æſtiuum ſolem, ſi forte moranteis*
*Sparſerit, aut præceps Neptuno immerſerit Eurus.*

Conſeri deinde circa totum apiarium debent arbuſculæ incrementi parui, maximeque propter ſalubritatem. nã ſunt etiam remedio languentibus cytiſi, tum deinde caſiæ, atque pini, & roſmarinus: quin etiam cunilę, & thymi frutices: itemque violarum, vel quæcunque vtiliter deponi patitur qualitas terræ. Grauis, & tetri odoris non ſolum virentia, ſed & quælibet res prohibeantur, ſicuti cancri nidor, cum eſt ignibus aduſtus, aut odor paluſtris cœni. nec minus vitentur cauæ rupes, aut valles argutæ, quas Græci ἠχοῦς vocant.

*De vaſis aluearum probandis.* 6.

IGITVR ordinatis ſedibus, aluearia fabricãda ſunt pro cõditione regionis: ſiue illa ferax eſt ſuberis, haud dubitanter vtiliſſimas aluos faciemus ex corticibus, quia nec hieme rigent, nec candent æſtate: ſiue ferulis exuberat, iis quoque, cum ſint naturæ corticis ſimiles, e quibus commode vaſa texuntur. ſi neutrum aderit, opere textorio ſalicibus connectuntur: vel ſi nec hæc ſuppetent, ligno cauatæ arboris, aut in tabulas deſectę fabricabuntur. Deterrima eſt conditio fictilium, quæ & accenduntur æſtatis vaporibus, & gelantur hyemis frigoribus. Reliqua ſunt aluearum genera duo, vt vel ex fimo fingantur, vel lateribus extruantur: quorum alterum iure damnauit Celſus, quoniam maxime eſt ignibus obnoxium: alterum probauit, quamuis incommodum eius pręcipuum non diſſimulauerit, quod, ſi res poſtulet, transferri non poſſit. Itaque non aſſentior ei, qui putat nihilo minus eius generis habendas eſſe aluos: neque enim ſolum id repugnat rationibus domini, quod immobiles ſint, cum vendere, aut alios agros inſtruere velit (hoc enim commodum pertinet ad vtilitatem ſolius patrisfamilias) ſed quod ipſarum apium cauſa fieri debet, cum aut morbo, aut ſterilitate, aut penuria locorum vexatas conueniat in aliam regionem mitti, nec propter prædictam cauſam moueri poterunt. hoc maxime vitandum eſt. Itaque quanuis doctiſſimi viri autoritatem reuerebar, tamen am-

dies pluuius. IX Calen. Febr. ex occaſu priſtini ſideris ſignificat tempeſtatem: interdum etiam tempeſtas. VI Calend. Feb. Leonis quæ eſt in pectore clara ſtella occidit, nonnunquam ſignificatur hiems bipartita. V Calend Febr. Auſter, aut Africus, hiemat, pluuius dies. III Calend. Febr. Delphinus incipit occidere. item Fidicula occidit. Pridie Calen. Februar. eorum, quæ ſupra ſunt, ſiderum occaſus, tempeſtatem facit: interdum tantummodo ſignificat. Hoc igitur ſemeſtrium, & deinceps ſequentia tempeſtatibus annotatis percenſuimus, quo cautior villicus (vt iam dixi) vel abſtinere poſſit operibus, vel feſtinationem adhibere. Itaque ab Idibus Ianuariis, quod habetur tempus inter brumam, & aduentum Fauonii, ſi maior eſt vineæ vel arbuſti modus, quicquid ex autumno putationis ſuperfuit, repetendum eſt, ſed ita ne matutinis temporibus vitis ſaucietur: quoniam pruinis & gelicidiis nocturnis adhuc rigentes materiæ ferrum reformidant. itaque dum hæ regelare ſinuntur, vſque in horam ſecundam, vel tertiam poterunt vepres attenuari, ne incremento ſuo agrum occupent, ſegetes emundari, aceruí virgarum fieri; ligna denique confici, vt tum demum tepenti iam die putatio adminiſtretur. apricis etiam & macris, aut aridis locis prata iam purganda, & a pecore ſunt defendenda, vt fœni ſit copia. Siccos quoque & pingues agros tempeſtiuum eſt proſcindere. Nam & vliginoſi, & mediocris habitus ſub æſtate vereve agendi ſunt. macerrimi vero & aridi poſt æſtatem, primo autumno arandi, & ſubinde conſerendi. Sed iugerum agri pinguis hoc tempore anni commode duabus operis proſcinditur, quia hibernis pluuiis adhuc madens terra facilem cultum ſui præbet. Eodemque menſe ante Cal. Feb. ſarriendæ ſegetes autumnales, ſiue illæ ſeminis adorei ſunt, quod quidam far vernaculum vocant, ſeu tritici. eorumque tempeſtiua ſarritio eſt, cum enata frumenta quatuor fibrarum eſſe cœperunt. ordeum quoque maturum, quibus ſupereſt opera, nunc demum ſarrire debebunt. Sed & faba eandem culturam exigit, ſi iam coliculus eius in quatuor digitos altitudinis creuerit. nam prius ſarriuiſſe nimium teneram non expedit. Eruum quidem melius priore menſe, nec tamen improbe hoc ipſo vel proximo ſeremus. nam Martio nullo modo terræ committendum eſſe ruſtici præcipiunt. vineæ, quæ ſunt palatæ & ligatæ, recte iam fodiuntur. ſurculi, qui primi florem afferunt, ſtatim circa Idus inſerendi ſunt, vt ceraſorum, tuberum, amygdalarum, perſicorumque. ridicis

tet, eandemque, & cæteras omnes vineas iiſdem pampinare. Quod ſi ſæpius feceris, pueriſis vna opera iugerum vineti pampinabit. quibusdam regionibus oues nunc tondentur, & pecoris nati aut amiſſi ratio accipitur. item qui lupinum ſtercorandi agri cauſa ſerit, nunc demum aratro ſubuertit. Cal. Iun. & IIII Non Aquila exoritur, tempeſtas ventoſa, & interdum pluuia. VII. Idus Iun. Arcturus occidit, Fauonius, aut Corus. IIII Id. Iun. Delphinus veſpere exoritur, Fauonius, interdum rorat. His diebus, ſi non opere victi ſumus, eadem, quæ extremo menſe Maio, facienda ſunt: item omnes arbores fructiferæ circunfoſſæ aggerari debent, vt ante ſolſtitium id opus peractum ſit. quinetiam pro conditione regionis & cæli terra vel proſcinditur, vel iteratur: eaque, ſi eſt difficilis, proſcinditur operis tribus, iteratur duabus, tertiatur vna. Lirantur autem iugera duo opera vna: at ſi facilis eſt terra, proſcinditur iugerum duabus operis, iteratur vna: lirãtur vna iugera quatuor, cum in ſubacta iam terra latiores porcæ ſulcantur. quæ ratio colligit, vt per Autumnum facile poſſint vno iugo, tritici obſeri modii centumquinquaginta, cæterorumque leguminum modii centum. Iisdem diebus area trituræ præparanda eſt: vt quæque res deſecta erit, in eam conferatur. Vinearum quoque cultus, quibus maior eſt modus, iteratus eſſe debet. Ante ſolſtitium pabulum (ſi facultas eſt) vel nunc, vel etiam ſuperioribus XV diebus, qui fuerint ante Calen. Iunii, pecori præberi oportet. A Cal. autem Iuniis, ſi iam deficit viridis herba, vsque in vltimum Autumnum frondem cæſam præbebimus. Idibus Iuniis calor incipit. XIII Calen. Iul. ſol introitum in Cancro facit, tempeſtatem ſignificat. XI Calen. Iulii Anguifer, qui a Græcis dicitur ὀφιοῦχος, mane occidit, tempeſtatem ſignificat. Octauo, & VII, & VI Cal. Iulii Solſtitium, Fauonius, & calor. Tertio Cal. Iul. ventoſa tempeſtas. His diebus eadem, quæ ſupra. Sed & viciam in pabulum ſecare oportet, priusquam ſiliquæ eius durentur, ordeum metere, fabam ſerotinam ducere, fabam maturam conterere, & paleam eius diligenter recondere, ordeum terere, paleasq; omneis recondere, aluos caſtrare, quas ſubinde nono quoque aut decimo die ad Cal. Maias conſiderare & curare oportet. nunc autem ſi ſunt pleni atque operculati faui, demetendi ſunt: ſin autem maiore parte vacant, aut ſine operculis adaperti ſunt, nondum eſſe maturos ſignificatur: itaque mellatio eſt differenda. Quidam in prouinciis transmarinis vel hoc, vel ſe-

ſtum non poteſt. Torcularia vero, & fora diligenter emundata, lotaque; &, ſi res ita exegerit, picata, præparataque habeat ligna, quibus defrutum & ſapam decoquat. tum etiam ſalem, atque odoramenta, quibus condire vina conſueuerint, multo ante repoſita eſſe oportet. Nec tamen hæc cura totum auocet eum a cætera ruris cultura. nam & napinæ, itemque rapinæ ſiccaneis locis per hos dies fiunt: farraginaria quoque, pecori futura per hiemem præſidio. itemque ſiliquam, quod ruſtici fœnum græcum vocant, nec minus in pabulum vicia nunc demum conſeritur. Tum etiam lupini hæc erit præcipua ſatio, quem quidam vel ab area protinus in agrum deferri putant oportere. Milium & panicum hoc tempore demetitur, quo faſeolus ad eſcam ſeritur. nam ad præcipiendum ſemen vltima parte Octobris circa Calendas Nouembris melius obruitur. Quare cum hæc cuncta in agris exequi debeat, poſſit eorum curam, quæ intra villam facienda ſunt, villicæ delegare: ita tamen, vt ipſe conſideret an recte facta ſint. Cal. Octobribus, & ſexto Non. interdum tempeſtatem ſignificat. Quarto Non. Octobris Auriga occidit mane, Virgo deſinit occidere, ſignificat nonnunquam tempeſtatem. Tertio Non. Octobris Corona incipit exoriri, ſignificat tempeſtatem. Pridie Non. Octobris Hædi oriuntur veſpere, Aries medius occidit, Aquilo. Octauo Id. Octobris Coronæ clara ſtella exoritur. Sexto Id. Octobris Vergiliæ exoriuntur veſpere, Fauonius, & interdum Africus cum pluuia. Tertio & pridie Idus Octobris Corona tota mane exoritur, Auſter hibernus, & nonnunquam pluuia. Per hos dies frigidis regionibus vindemia, & cætera, quæ ſupra ſcripta ſunt, fieri ſolent. Iisdemque regionibus frumenta matura ſeruntur, & præcipue far adoreum. Locis etiam opacis triticum nunc recte ſeritur. Et quoniam ſementis mentionem fecimus, non intempeſtiue quantum cuiusque ſeminis iugerum agri recipiat referemus. Iugerum agri recipit tritici modios quatuor, vel quinque, farris adorei modios nouem, vel decem, ordei modios quinque, vel ſex, milii vel panici ſextarios quatuor, vel quinque, lupini modios octo, vel decem, faſeoli modios quatuor, piſi modios tres, vel quatuor, fabæ modios ſex, lentis modium vnum, vel paulo amplius, lini ſeminis modios nouem, vel decem, cicerculæ modios tres, vel quatuor, ciceris modios duos, vel tres, ſeſami ſextarios quatuor, vel quinque, viciæ pabularis modios ſeptem, vel octo, viciæ ſeminalis modios quinque, vel ſex, eruı

nem reponitur. Prædicti deinde funes de tabulato prompti explicantur, & in longitudinem per vtrunque ſulcum porrecti obruuntur, ſed ita vt non nimium ſupergeſta terra ſemina ſpinarum, quæ inhærent toris funiculorum, enaſci poſſint. ea fere circa trigeſimum diem prorepunt: atque vbi cœperunt aliquod incrementum habere, ſic inſueſci debent, vt in id ſpatium, quod ſulcis interiacet, inclinentur. Oportebit autem virgeam ſepem interponere, quam ſuperſcendant ſentes vtriusque ſulci, & ſit quo interdum quaſi adminiculo priusquam corroborentur, acquieſcant. Hunc veprem manifeſtum eſt interimi non poſſe, niſi radicitus effodere velis. cæterum etiam poſt ignis iniuriam melius renaſci nulli dubium eſt. Et hæc quidem claudendi horti ratio maxime eſt antiquis probata. Locum autem prius eligi conueniet, ſi permittit agri ſitus, iuxta villam præcipue pinguem, quique adueniente riuo, vel ſi non ſit fluens aqua, fonte puteali poſſit irrigari. Sed vt certam perennitatis puteus habeat fidem, tum demum effodiendus eſt, cum ſol vltimas partes Virginis obinebit, id eſt menſe Septemb. ante æquinoctium autumnale: ſiquidem tunc maxime explorantur vires fontium, cum ex longa ſiccitate æſtatis terra caret humore pluuiali. Prouidendum eſt autem, ne hortus areæ ſubiaceat, ne per trituram venti poſſint paleas aut puluerem in eum perferre: nam vtraque ſunt oleribus inimica. Mox inordinandi paſtinandique ſoli duo ſunt tempora: quoniam duæ quoque olerum ſationes: nam & autumno & vere plurima ſeruntur, melius tamen vere riguis locis, quoniam & naſcentis anni clementia excipit prodeuntia ſemina, & ſitis æſtatis reſtinguitur fontibus. At vbi loci natura neque manu illatam, neque ſuæ ſpontis aquam miniſtrari patitur, nullum quidem aliud auxilium eſt, quam hiemales pluuiæ. Poteſt tamen etiam in ſicciſſimis locis opus cuſtodiri, ſi depreſſius paſtinetur ſolum: eiusque abunde eſt gradum effodere tribus pedibus, vt in quatuor conſurgat regeſtum. At vbi copia eſt rigandi, ſatis erit non alto bipalio, id eſt, minus quam duos pedes ferramento nouale conuerti. Sed curabimus, vt ager quem vere conſeri oportet, autumno circa Calend. Nouemb. paſtinetur: quem deinde velimus autumno inſtituere, menſe Maio conuertemus, vt aut hiemis frigoribus, aut æſtiuis ſolibus & gleba ſoluatur, & radices herbarum necentur: nec multo ante ſtercorare debebimus: & cum ſationis appropinquabit tempus, ante quintum diem exherban-

vmbra ſiccanda: tum æquis partibus acetum, & ſapa, vel defrutum miſceatur, & infundatur. oportebit autem aliquid ſalis adiicere, ne vermiculus, aliudve animal innaſci poſſit. verum commodius ſeruantur, ſi duæ partes ſapæ cum aceti vna parte miſceantur. Pyra dolobelliana, cruſtumina, regia, veneria, volema, neuiana, lateritiana, decumana, laurea, myrappia, pruna purpurea, cum immatura, non tamen percruda legeris, diligenter inſpicito, vt ſint integra ſine vitio aut vermiculo: tum in fictili picata fidelia componito, & aut paſſo, aut defruto completo, ita vt omne pomum ſubmerſum ſit, operculo deinde impoſito gypſato. Illud in totum præcipiendum exiſtimaui, nullum eſſe genus pomi, quod non poſſit melle ſeruari. itaque cum ſit hæc res interdum ægrotantibus ſalutaris, cenſeo vel pauca poma in melle cuſtodiri, ſed ſeparata generatim. nam ſi commiſceas, alterum ab altero genere corrumpitur. Et quoniam opportune mellis fecimus mentionem, hoc eodem tempore alui caſtrandæ, ac mel conficiendum, cera facienda eſt: de quibus nono libro iam diximus: nec nunc aliam curam exigimus a villico, quam vt adminiſtrantibus interſit, fructumque cuſtodiat.

*De mella facienda, qua in condituris vtuntur.* 11

CAETERVM cum eodem tempore mella, nec minus aqua mulſa in vetuſtatem reponi debeat, meminiſſe oportebit, vt cum ſecundarium mel de fauis fuerit exceptum, ceræ ſtatim minute reſoluantur, & aqua fontana vel cæleſti macerentur. expreſſa deinde aqua coletur, & in vas plumbeum defuſa decoquatur, omniſque ſpurcitia cum ſpumis eximatur: quæ decocta, cum tam craſſa fuerit quam defrutum, refrigeretur: & bene picatis lagœnis condatur. Hac quidam mella pro aqua mulſa vtuntur, nonnulli etiam pro defruto in condituras oliuarum; quibus quidem magis idoneam cenſeo, quod cibarium ſaporem habet, nec poteſt languentibus pro aqua mulſa remedio eſſe: quoniam ſi bibatur, inflationem ſtomachi & præcordiorum facit. itaque ſepoſita eſſe, & ad condituras deſtinata.

*De aqua mulſa facienda.* 12

PER ſe facienda erit optimo melle aqua mulſa. hæc autem non vno modo componitur: nam quidam multos ante annos cæleſtem aquam vaſis includunt, & ſub dio in ſole habent: deinde cum ſæpius eam in alia vaſa transfuderint, & eliquauerint (nam quoties etiam per longum tempus diffun-

ſcylliticum vt fiat 470 b, 604
Achæi ſolum mutarunt 167. Achaica myrrha 408
Acheloides Pegaſidum comites 410
Achrades piri 349 b. achrados ſiluæ 404. achrados vepribus 410
Acina craſſa 476: corrugata 473 b: rugoſa 475 b: arida & vitioſa 473: corrupta 35, 473. acinaria dolia 76. acinatitium vinum 516 b
Acnua quid 66, 275
Acorem concipit lac 347 b. acore vitiatur lac 458
Acquieſcere palo 252 b
Acratophorum 64 b
Acra radice, *pro* Acri 606. acre vt fiat vinum vapidum 453 b. acriorem ignem ſuſtinere poterit 463
Acriſioneos amores 409
Actæi mellis Hymetti 413
Actæonis fabula 121 b
Actores veſtiri vt ſoliti 452
Actus primus villaticæ paſtionis 144 b. tertium actum reddere 119. actus quartus 78. Actus agrimenſ. quid 275. actus quadratus quid 66
Acuere palos 422. acumina ſeminum terrę infigenda 543, 573. acumine deorſum verſo ponuntur oſſa Perſici 626
Acus grani 91. acus mergendis ſarmentis 537. acus ſeminum 197
Adęquetur plaga trunco 269 b
Adaggerare terram circa arb. 302 b, & 32
Adamat partes ſuas 408 b
Adapertas vites relinq. 285
Adaruit vnctura 32 b
Adeſſe ad rem diuinam 30
Adfriare 93
Adindito ſubſcudes 11 b
Adipis præſulſi 584: *mſ. cod.* præſulſæ, *vt* 307 b
Adiutoria ſenectutis 447
Adiutrice data 449 b
Admenſum vinum 45 b
Adminiculum viti contribuere 285. adminicula fiſſilia 273 b. adminicula hominũ 71 b. Adminiculari vinea vt debeat 265 b
Adminiſtrare, peragere: & Adminiſtratio, peractio 423 b. ſic Adminiſtrare ſementem 212 b: adminiſtrare fœniſicium 71 b. adminiſtratur vindemia & cetera eiuſmodi 429 b
Admiſit ouibus arietes 335. admittitur equæ 331 b. admittendi ſunt equabus 584. admittitur veneri 331
Admiſſuras facere 109 b. de admiſſura ſeu admiſſione quæ obſeruanda 101. admiſſuræ idonei boues qua ætate, & quæ eius præcepta 322. ſic de equis 325 b. admiſſura arietum prima quando 591
de Admiſſariis equis quæ tenenda 325. quæ in eis ſpectanda 584 b. quando & quomodo admittantur 584



Digitized by Google

Æs pecore ſtatum, pecore notatum 99 b
Æſchrio de re ruſt. 54 b: 164
Æſculus ad quæ vtilis 633. æſculei aſſeres 519 b
Æſtas initium quod, & quot dies habeat 79, 426. æſtate quæ fiant opera 78 b: 80
Æſtimare, perpendere 513, 552. æſtimator officiorum 416
Æſtiuæ partes vitis quæ 498. æſtiuare in montibus 104 b. ab æſtiuante ſole protegere 430 b. ſic Æſtiuoſis locis 295, etiam vet. ed.
Æſtus nebuloſus 428 b. æſtib, alternis reciprocans 633. æſtuantia vina 622. æſtuantis mulæ curatio 333. æſtuoſiſſimum animal ſus 351 b
Ætas vetus & nouella 369: media, villicationi aptiſſima 415. ætatis indicia in equis 326 b. ætatem anni compleuerint 631
Æuum pati 195 b
Affatim ſe replere 395
Afficiatur igne vel verbere 584
Affiĉta villæ ſepta 131 b. affiĉtitius ad villam aĉtus 144 b
Afflari a ſerpente, peſtilens eſt 364. Afflatus *aſpiratio* 127 b
Afflicta ſenio aut tempeſtate arbor 287 b
Africæ bonitas 202: feracitas 225. Africanæ gallinæ 356 b: fici 6 b, 299 b. Afra piſa 621
Agathocles de re ruſt. 54: 164
Ageladæ arte 404
Agendum eſt vt vitis non ſit ſpiſſa 553. nihil agendo male agere diſcimus 419.
¶ Agere citatum, & Agere currentem per M. paſſus 312 b. agere caudam crebrius, agitare caput 312 b
Agger bonus qui 69 b. aggerari debent arbores 427
Aggeſtio fluminum 541. aggeſtio ex æſtu recipr. 633
Agilis induſtria 417. agilitas currentis aquæ 522 b
Agitare caput, & caudam crebrius agere 312 b. agitator aſelli 334
ad Agnatos deducendus 56. ſic alibi Ad gentiles deduc.
de Agnis quæ tenenda 104. agnorum generatio prima & curatio 631 b. agni recens editi vt tractandi 338: maturi, charactere ſignātur 545 b: ægrotantes vt iuuentur 344 b
P. Agraſius publicanus 55
res Agreſtis, res ruſtica 419 b. agreſtes mures vt profligentur 532. agreſtes columbæ 138 b. agreſtis paſtinaca 385 b, & 329. agreſtis herbæ radices 328 b
Ager in primis curandus 3: 175 b: emi parariq; vt debeat 1, b. in agro eligendo & emendo quæ conſideranda 518: & 166 b: 168 b. agri primo emendi qui, qui deinde 2. optimus qui, & optimo qui proximi 62 b: 63 b: probari qui maxime ſoleat 165 b: vtiliſſimus qui ſit 60: fertilis qui 135:



Digitized by Google

cucurbitæ 444
Alexis ſpernat opes Corydonis 411
Alga marina veſtire 378: inuoluere 560
Algiana olea 294 b
Alibile, θρεπτικόν 125
Alica vt fiat 601
Alienare, *vendere* 102 b
Alienigenas pullos 526 b. alienigeni piſces 378. alienigena ſemina 222. alienigenis fœtibus 362 b
Alimento materno deſtitutus 231. alimenta terreſtria 447 b. Alimonium 65, 150. alimoniis pecudum 102 b: ſeminum 87 b
Aliquantis diebus refrig. 524
Aliquotfariam 56
Aliter, *i. alio remed.* 536 b: 577 bis: 635 octies.
Alius ab alio ſeparati 291 b. aliam atq; aliã emittit 390 b. aliusve quis ferus 383. aliave quæ beſtia 133 b, 144. aliudve quid animal 137 b. ¶ aliud melle, *i. diuerſum a melle* 151. ¶ alii dei, *genit. caſu* 58
Allectores captiuorum 369. allectare ſibilo 187 b
Allecula: viſe Halec.
Allia cum cepis 411 b. allii ſatio & cultura 542 b: 626. allium ne fœteat 626. Allium Punicum, ἀφροσκόροδον, vlpicum 439
Alligator vitis 253, 256, 257 b. alligatura inſitionis 501
Allinire & Alliniatur 536 b, etiam mſ. cod. itemque 569 b
Allobrogicæ vites 217. Allobroges qua pice ad condituras vtantur 466
Alluuies fluminum 232 b
Alnos indomitas 410. alnus ad quæ vtilis 633
Aloe epatica 621 a b
Alphius fœnerator 176
Alteræ parti 302 b. alteræ-alteræ 103 b. altera altera non contingant 478 b, 479 b: & 275. de alteris quatuor 71 b, 104. alteræ partes 100 b. alteris vaſis 10 b. poſt trigeſimum & alterum diem 474
Alternis æſtibus reciprocans 633. alterna tabulata oliuarum & ſalis vsque in ſummum componunt 483. alternis ſal ingeritur 490. alternemus vernaculas & Gallicas 288
Althea, ibiſcus 621: *a* ſimplici etiam mſ. cod. at Gr. ἀλθαία.
Altiles boues 102
Altinæ vaccæ 322 b. Altinates oues 334 b
Alta nouem pedum 373 b. alta pede vno 543: ternis pedibus 534 b: trib. pedibus 539 b
in Alueo ſalire herbas 456. aluei collocandi vt ſint 388
Aluearium, μελιττών 149: populi adiectione vt reparetur 600. quæ probentur 387: quando matura ſint, & quando ac quomodo caſtrentur 599. aluearium caſtratio vltima 619: pur-

Digitized by Google

Athletæ pecuarii 98. athletę comitiorum 136
Atinia vlmus 287 b: vt ſeratur 289. eadem Attinea 504
Atque pro Vt, Sicut: ſimili ratione atque in arbuſto Italico 294
ἀτράφαξυς, atriplex 442
Atrienſes ſerui 452 b
Atriplex, ἀτράφαξυς 442 b. atriplicis ſatio & cultura 442 b, 589. atriplici grauis phaſelus 413
Atrum vinum 50. atrum olus, ἱπποσέλινον & σμύρνιον 441 b. atræ ficus 6 b
Attalus de re ruſt. 54: 163 b
Attenuare veptes 421
Atticus interlocutor 102 b. Atticus anté T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius 103
Atticus Iulius de re ruſt. 164 b. viſe Iulius.
Attilius Hiſpanienſis cit. 110
M. Attilius Regulus 169
Attrectatione manus frequenti 583 b
Auctio vti facienda 3
Aucupari 77. aucupari apum examina 390. Aucupium noctuæ 612. aucupium laqueis tendi quando & quãdiu ſoleat 637 b
Auditus imbecillitas vt leuetur 51
Auellanæ ſatio, maturitas 566 b. auellana Tarentina vt fiat 300
Auenæ ſatio 200 b
Auertere ſe admiſſario 332. auerſus contubernio vxoris 449: *vet. vd.* aduerſ. auerſum a ſole locum 453 b auerſus a ventis 486 b
Aues duum generũ 134. aues fœcundiſſimæ, gallinæ 357 b. aues Rhodiæ, i. gallinæ Rhodiæ 371 b. auium ſtercus 205 b
M. Aufidius Lurco 136. P. Aufidius Pontianus Amiterninus 121
Augmentum lunæ 637
Augures ad auſpicia pararunt pullos 132: citantur a conſule 137. augurali adiiciali cœna 137
Auguſtalis Claudius 414 b, 415
Auguſto augurio 127
Auguſti menſis deſcriptio & opera 428 b, 605: horæ 609
Auia herba 316 b, 317 *a vet ea priore in loco* Habia.
Auiarius, cuſtos auium 359, 363, 372. auiaria, ὀρνιθῶνες 132, 133. auiaria turdorum 84. auiaria cohortalium auium, ὀρνιθῶνες 356. auiaria nantium volucrum, χηνοτροφεῖα 356. auiaria veterum 132. auiarium Luculli 133. auiaria vt fiant 525
Auitus color 332, 335
Aula noua, olla 30
Aulia ſuccidia 110
Auratæ, piſces 377. auratæ Punicæ & indigenæ Vmbræve 378
Aurea mala Heſp. 99. aureæ pelles vnde d. 99. aureolus color 184 b

Bio de re ruſt. 54
Bipalio non alto 437 *b*
Bipalmes tabulę 138
Bipartitur ver 425 *b*. *an* bipartitum, *vt* hiems bipartita 421
Bipedanea ſcrobe 245. bipedaneis ſpatiis 271 *b*. bipedanea latitudine 424. ¶ Bipedana humus 186, etiam vet. edit.
Bipedæ in altum conſtituantur 535 *b*. bipedis ſtratum ſolum 523 *b*. bipedis ſternitur area 535 *b*. bipedarum canales 595 b. bipedæ ferreis ancoris colligatæ 536
Biturica vitis 217, 218, 224, 225 *b*. bituricæ fructib. opimæ 243
Biuium ad culturam 73 *b*
Blanditur igneam ſæuitiam 344. blandimentis manſueſcunt 307 *b*. blandimenta æſtiui caloris 613 *b*
Blitus quando ſeratur, & quomodo colatur 575 *b*
Bombum faciunt 152 *b*
Bonus euentus inuocatur 54. bona ſalute, ἀγαθῇ τύχῃ 4. bonum eſt, *prodeſt* 49 *b*. bonum fœcunditatis 518 *b*
Borea nubifugo 411
Boſcides vt alantur 375 *b* vſitatius Boſcades.
Boſpori duo vnde d. 99 *b*
Botryones varii vt naſcantur 569 *b*. botryonib. illæſis 631 botryonum tenaces 613 *b*
de Bobus quæ tenenda 113. boues honore cæteras pecudes ſuperant 305 *b*: & 112 *b*: comparari quando & quomodo probari debeant 582: quales emendi 100 *b*, 306: conſepta & ſtabula qualia deſiderent 321 *b*: domari quando & quomodo debeant 583, & 306 *b*: tractari vt debeant 24, 583: tractari & curari vt debeant 309: in opere vt iungendi 186, 538: agriculturæ idonei qui 74: in arando vt regendi 187: poſt opus vt tractandi 187 *b*. boum iugo vni quid quoq; menſe per ſingulos dies pręſtari ſatis ſit 435 *b*
Boues admiſſuræ qua ætate idonei ſint 322: annuo delectu inſtaurandi 321: vti valeant 33 *b*: vt valeant quo voto procuretur 29 *b*: medicamine quo curentur 310 *b*: nitidiores vt fiant 524 *b*: ne pedes ſubterant 27 *b*: ægri vt curandi 27 *b*: peſtilentiam vnde contrahant, & quæ illi opponenda remedia 311: a ſerpente morſi vt curentur 33: ſi ſcabie, venenato morſu, aut coriagine laborent 315 *b*: oculorum vitio ſi laborent 319: hirudinem ſi hauſerint 319 *b*: ſi pulmonis exulcerationes, palatiq; aut ceruicis tumore vexentur 316: tuſſi vt liberentur 314: dolore ventris & inteſtinorum ſi laborent 315



Digitized by Google

126 *b*. capillus plenior apum regibus in ventre 393, 600. capillamenta ſeminum 2,2
Capiſterio expurgare 193 *b*. capiſtro conſtringitur vitis 257 *b*. capiſtrantur ad iugum 320
Capitolii occupatio anſerum clangore impedita 373
Cappadoca gens, & Cappadoca lactuca 408 *b*. Cappadocia lactuca 440. Cappadocus ſal 319
Cappar ſeritur 617 *b*. *mſ.cod.* capparis. capparis ſatio & cultus 445, 612 *b*
Capra cognomen 100. de capris quæ tenenda 106 *b*, 632. capræ vnde dictæ 58, 107 *b*. capræ pilus 126 *b*. capræ feræ 98 *b*
de Caprino pecore 345. caprinus grex 106 *b*. caprinum genus cur aliis diis immolatum, aliis non 58. caprini pecoris medicinę 346 *b*
Capraſia inſ. 107
Caprea & Capreolus in vite quid 80 *b*. capreolus, ferramentum bicorne ad terram commouendam 443 *b*
Capreida planta 37 *b*
Capricornus cæleſt. 99
Caprificus ficulnis arboribus quando & cur ſuſpendatur 428 *b*. caprificari arbores fici quando ſoleant 580 *b*
Caprilia, capr. ſtab. 107 *b*. caprile quale probetur 346
Caprilii vnde d. 99 *b*
Captans acquirere volupt. 370
Captiui apri 146
Capulatoris officia 26, 485 *b*
Capus ſeu capo 119. capi ſemimares 140, 356 *b*. caponis ſanguine macerata faba 624 *b*
Caput equo ſi doleat 327 *b*. caput vlpici 27 *b*. caput vitis quod 227. caput aquæ 607. ſic Foſſarum capita 592 *b*. ¶ xxv capitum grex 372. xxx capitum grex 362. capita ducenta ſub vno paſtore 357. ¶ capitula cepæ 438 *b*. capitatus porrus 560 *b*, & 441. capitati claui 122. capitatæ vineæ 285 *a b*
Carbones ſalſi 63 *b*. carbunculus terræ ſpecies 65, 541. carbunculoſus ager 232 *b*
a Carcerib. ad metas 60
Carcharus piſcis 380 *b*
Carcinoma vt ſanetur 49
Cardo cæli 55 *b*. cardines cæli obſeru. 557 *b*
Cardui ſatio & cultura 573, 617 in carduetis cati & muſtelæ 573
Carenum, ſemen condit. 483 *b*: *vet. ed.* carpum.
Caricis exſtirpatio 429 *b*. carecta quando exſtirpētur 605
Carica creta 93
Carminis legib. implicare materiam hortenſis rei 414 *b*
Carnes pirorum reſolutæ 563. in Carnario ſuſpendi 489 *b*
κηρυκή, cytiſus 511: an quia τοῖς κήρυοις (i. pecudibus) gratiſſ.



Digitized by Google